RICHTER, W. M. von

SYNOPSIS
PRAXIS
MEDICO-OBSTETRICIAE

quam
per hos viginti annos

MOSQUAE

exercuit

GVILIELMUS MICHAEL RICHTER
Consiliarius status, Ordinis S. Annae secundae classis Eques,
Medicinae Doctor et artis obstetriciae in Universitate
Caesarea-Mosquensi Professor Publ. ord.



Parce, precor, gravidis, facilis Lucina, puellis:
Maturumque utero molliter aufer onus. Ovid.

MOSQUAE
TYPIS UNIVERSITATIS MOSQUENSIS.
1810.

Relinquamus aliquid, ne frustra vixisse videamur.

AUGUSTISSIMO ET POTENTISSIMO

PRINCIPI ET DOMINO

ALEXANDRO PRIMO

IMPERATORI

ET

AUTOCRATORI

ROSSORUM OMNIUM

etc. etc. etc.

SCIENTIARUM ARTIUMQUE AEVO SUO VINDICI

ATQUE OMNIS SAPIENTIAE ET ERUDITIONIS

FAUTORI ET TUTORI

optimo maximo

HOC STUDIORUM SUORUM SPECIMEN

SUMMA VENERATIONE

CONSECRAT

Guilielmus Michaël Richter.

PRAEFATIO.

Notiſſima eſt Senecae ſententia, longum eſſe ad ſcientiam quamcunque iter per praecepta, breve vero per exempla. Id quod inprimis valet de arte medica atque obſtetricia, quae originem duxerunt ab experientia, exemplo monſtrante viam. Cum autem fieri nequeat, ut omnibus omnia vel ſingula experiri atque obſervare contingat, ars haec amplificari atque augeri poteſt eo maxime, ut plures eruditi, unitis viribus, quae praxis ipſos memoria digna docuit, cum aliis communicent, publicique juris faciant. Univerſalia praecepta eo ipſo dextere atque appoſite particularibus caſibus applicari, et vice verſa ex ſpecialibus ejuſmodi obſervationibus generaliora dogmata, in totius ſcientiae incrementum, erui atque argumentis firmari poſſunt. Quae cum ita ſint, non abs re fore arbitratus ſum, ſynopticum conſpectum publici juris facere eorum, quae mihi praxin medicam et obſtetriciam in hac vaſtiſſima Ruſſiae Metropoli per hos viginti

annos exercenti, coram lectis parturientium revera obſervare contigit. Artis enim obſtetriciae, mihi dilectiſſimae, cui inveſtigandae atque exercendae maximam vitae partem impendi, proſequi progreſſus, non tantum utile, ſed etiam gratum ſemper videbatur, et ab omni theoria vana, hypotheſi atque praejudicio quam maxime alienus, ſollicite et attente conatus ſum, ipſam naturam contemplari, cum ea conſueſcere, et, ſi ita fas eſt, loqui, in naturae libro legere, quae nunquam non ſedulis ſui obſervatoribus aliquid novi vel attentione digni offert. Factum eſt inde, ut ex quo praxin exercere incepi, ad hunc uſque diem, non ſolum nomina parturientium, diemque et horam, verum etiam totius puerperii hiſtoriam, ejuſque eventum, tam fauſtum, quam funeſtum, diligenter et accurate chartis mandare, et diariis meis notare, conſtituerem. Eo ipſo nonnullas obſervationes, publica luce forſan haud indignas, ab oblivione vindicavi et eo perveni, ut de ſingulis caſibus ad minutias uſque, rationem reddere nunc poſſim. Sincero igitur impulſus amore artis obſtetriciae, ex his diariis, nuda veritate et incorrupta fide

conſcriptis, ea collegi, quae mihi notatu atque memoratu digna videbantur, et horas ſubſecivas, a negotiorum practicorum cumulo liberas, illorum deſcriptioni et explicationi dicavi. Ne autem commentationis hujus titulus plus, quam quae in receſſu latent, promittere videatur, non poſſum non paucis praefari, quae in hoc opere., et quo ordine expoſita inveniantur. Praemiſſa eſt *rei obſtetriciae Moſquenſis hiſtoria* breviter enarrata, a prima ejus in Ruſſia conſtitutione inde, ad hodiernum tempus uſque, quam ex annalibus medicis et publicis mandatis, non abſque labore, colligere mihi contigit. Nullum enim, quantum mihi innotuit, hucuſque ejuſmodi ėxtat documentum hiſtoricum typis mandatum, quamquam non deſint plura in patria noſtra inſtituta publica, pro parturientibus recipiendis, et obſtetricibus erudiendis. Orphanotropheum Caeſareum - Moſquenſe, ſi numerum partuum, qui quotannis in eodem eduntur, ſpectemus, primariis noſodochiis puerperarum Europae hodiernae jure meritoque adnumerari debet, non minus ac, ratione habita, ordinis ſtabiliti, elegantiae et perfectionis; neque noſocomium parturientium in

Univerſitate noſtra litteraria, infimum locum inter reliqua occupat. Quoad Orphanotropheum equidem primus publici juris feci tabulam ſynopticam, quot partus in eo, quovis anno edantur. Quoad alterum inſtitutum publicum, adjeci quoque peculiares obſervationes practicas de pondere placentae et infantis, nec non de longitudine ejus et funiculi umbilicalis. Generaliorem ejuſmodi ſynopſin praxeos meae publicae in noſocomiis, excipiunt ſpeciales monographiae in praxi privata mihi obviae, quarum nonnullae, utpote rariores, peculiari attentione haud indignae viſae ſunt. Vectis uterini in retroverſione uteri applicandi, inventum, nondum omnibus numeris abſolutum eſſe cenſeo, ſed eum aliorum peritiſſimorum virorum dijudicationi et ulteriori correctioni, humaniter et modeſte commendatum volo. Polypos uteri ligaturae ope ſublatos, ſtupendae magnitudinis in praxi mea vidi, eoſque majores, quam qui hucuſque ab aliis ſcriptoribus deſcripti inveniuntur. Quare in voluminoſis ejuſmodi polypis praeſtare mihi viſum eſt, antequam ligatura injiciatur, illos prius vel manu vel forcipe, extrahi. Experientia me docuit, in hoc caſu, ligaturam,

etiam extra uterum, innoxiam eſſe aegrotae, et faciliorem obſtetricatori. Polypus major, qui tabula VI aeri inſculptus invenitur, ad veram magnitudinem accuratiſſime delineatus eſt. Ipſe enim ille in muſaeo anatomico inſtituti obſtetricii Univerſitatis, ſpiritu vini affuſo, adhuc conſervatur. Eamdem benevolus lector fidem mihi habeat, quod attinet molam ex utero virginis vetulae excretam. Prolapſus uteri completus, intus haerentibus adhuc ſecundinis, rarioribus obſervationibus practicis adnumerandus videtur, non minus ac memorabilis ille caſus, quo pronepos lacte proaviae ſuae nutritus eſt. Paracentheſis vaginae in hydrope aſcitide foeminarum fauſto ſucceſſu inſtituta, peculiari attentione atque imitatione eo magis digna videtur, quo rarius haec operatio noſtro tempore inſtitui ſoleat. Reliquae obſervationes ſpectant partus praeternaturales, qui ex placenta orificio uteri adnexa, vel diutius in utero morante, et ex funiculo umbilicali praevio, oriuntur. Verſio infantis artificialis, ob brachium prolapſum, ob ſitum infantis tranſverſalem, ob convulſiones epilepticas parturientium et ob nates praevias, plures paginas explet. Hiſce ſubjuncta eſt

commentatio de recto uſu forcipis, quod inſtrumentum, utpote utiliſſimum generi humano, in graviori paragomphoſi, duplici intervallo intermedio (*à deux temps*) applicandum cenſeo. Opus tandem finitur brevi enumeratione 624 partuum, quibus parturientibus in praxi mea privata adeſſe, quarumque puerperarum curam gerere mihi contigit, cum adnexis corollariis. Quas itaque obſervationes practicas, candido animo deſcriptas, atque experientia ipſa comprobatas, benevolo Lectori nunc offero, eumque, ut honeſtis his conatibus faveat, rogatum volo.

ELENCHUS CAPITUM.

CAPUT I.

HISTORIA REI OBSTETRICIAE MOSQUENSIS BREVITER ENARRATA,

a prima ejus in Russia conſtitutione inde, ad hodiernum tempus usque, qua patet, quot medici obſtetricatores, per dimidium ſaeculum, inſtitutioni obſtetricum praefuerint, et quot obſtetrices licentiam praxin exercendi acceperint.

Quodsi hiſtoriam literariam Medicinae attento animo perluſtramus, evidenter patet, rei obſtetriciae inter plurimas Europae gentes ſolidiorem conſtitutionem, nec non ſcholarum (practicarum) pro obſtetricibus cum nosocomiis puerperarum adornationem, non incoeptam fuiſſe ante ſaeculum duodevicesimum, idque ſpeciatim non ante poſterius ejus dimidium. Hoc ipſo enim tempore ars obſtetricia a triumviris praecipue celeberrimis: *Levreto* in

Gallia, *Smellio* in Anglia et *Roederero* in Germania, plurimis inventis et fcriptis claſſicis insigniter locupletata deprehenditur, nec non permulta nosocomia obſtetricia variis in locis adornata inveniuntur. Sic anno 1751 fub glorioso regimine FRIDERICI MAGNI primum inſtitutum obſtetricium practicum Berolinense (a) et eodem anno aliud ejusmodi fub auspiciis GEORGII SECUNDI Gottingae (b) eſt fundatum.

Quae cum ita eſſent, non mirum profecto videtur, eodem ipso tempore etiam in *Ruſſia*, a variis ejus Autocratoribus ad exemplum aliarum gentium, eamdem curam collocatam eſſe, in fcholis obſtetricum adornandis, in obſtetricatoribus in majoribus urbibus conſtituendis et in genere in *re obſtetricia* in commodum publicum rite dirigenda.

Hisce principiis ducta, fub regimine AUGUSTAE IMPERATRICIS ELISABETHAE, Cancellaria, (quam dicebant) medica et in fpecie Director ejus *Condoidi*

(a) Haec fchola obſtetricia adjuncta eo tempore fuit magno nofocomio Charitatis (dicto), et tanquam docens ipsi praefuit meritiſſimus Profeſſor I. F. *Meckel*.

(b) Praefuit huic celeberrimus *Röderer*, qui fcholam obſtetriciam Göttingensem et nosodochium puerperarum, ad normam Argentoratenſis adornavit.

Archiater, Senatui res in Imperio Ruffico dirigenti anno 1754 die 21 Martii consilium de conftituenda re obftetricia vel normam peculiari fcripto (c) proposuit, fecundum quam optimo cum fucceffu illa dirigi poffet. Ex XXIX articulis, quibus conftat, fequentia tantum breviffimis verbis in medium proferre liceat. Propofitum eft, ut omnes illae, quae hucusque munere obftetricis Mosquae et Petropoli functae effent et quae licentiam praxin obftetriciam exercendi publica auctoritate nondum legitime obtinuiffent, admoverentur examini publico obftetricio a Doctore et Chirurgo, hujus artis perito, in cancellaria medica inftituendo. Propositum eft, illas tantum, quae cum laude examen fubiissent, effe conftituendas tanquam obftetrices d) nec non juramento adftringendas effe legibus quibusdam, in publicum commodum promulgandis. His folummodo, non aliis, venia data eft munere obftetricis fungendi et reliquis ferio fub poena praxis interdicta. Cancellaria Medica in urbe Mosquensi quindecim obstetrices ejusmodi publice conftitutas, fufficere judicavit et Petropoli decem. At enim vero, examine eodem anno inftituto, experientia evidenter demonftravit,

(c) О учреждении порядка о бабичьемъ дѣлѣ 1754 года Марта 21 дня.
(d) Nominabantur eo tempore hae obftelrices присяжныя повивальныя бабки.

(quod utique mirum videtur,) tunc temporis non inventas esse viginti quinque obstetrices peritas, quare initio licentia praxin exercendi data est etiam illis foeminis, quae simplicem tantum habitum practicum acquisiverunt in hac arte, absque eruditione et institutione debita praevia. Inter reliquas obstetrices duae (e) constitutae sunt Mosquae et totidem Petropoli, quibus commissum erat, auxilium debitum praestare illis gravidis pauperibus, quae a magistratu publico in carceribus detentae invenirentur. Ut autem defectui obstetricum obex poneretur, et numerus illarum, quae artem hanc debita ratione addiscere possent, augeretur, Cancellaria Medica proposuit, ut Mosquae et Petropoli *schola pro obstetricibus* adornaretur. Institutioni obstetricum harum praesse jubebatur Doctor et Professor et ipsi adjungi Chirurgus vel Operator, cui inprimis commissum fuit, ut operationes manuales et instrumentales in partu difficili institueret (f).

Scriptum hoc Cancellariae Medicae a Senatu Imperii Russici, cui revidendum commissum erat,

---

(e) Quarum prima nominabatur старшая et altera младшая повивальная бабка.

(f) Pro salario Doctoris et Professoris constituti sunt 600 rubeli, pro Chirurgo et Operatore 400 rubeli, et pro obstetricibus 150 et 200 rubeli.

die 5 Maji anni ejusdem (1754) confirmationem legalem accepit. Patet adeoque, hoc ipso documento hiſtorico, *obſtetrices peritas ac doctas*, ante hoc tempus in Ruſſia non fuiſſe legitime *conſtitutas*, neque obſtetricatores in urbibus majoribus, neque tandem ſcholas obſtetricum adornatas.

Die 17 Novembris ejusdem anni (1754) a Cancellaria Medica et Directore ejus ſupra commemorato, *peculiaris inſtructio pro obſtetricibus*, publici juris facta eſt, quae noſtro ipso tempore etiam ignorari non debet. Quaelibet obſtetrix tenebatur auxilium debitum praeſtare, in partu facili ac naturali, omnibus etiam *pauperibus parturientibus*, et in partu difficili in ſubsidium vocare obſtetricatorem, pro operatione manuali vel inſtrumentali inſtituenda. Exponuntur in hac inſtructione qualitates physicae bonae nutricis, et cuilibet obſtetrici ad hanc normam commissus eſt nutricum ſelectus, et tandem injunctum eſt ipsis, ut remedia tantummodo ſimplicia atque innoxia e pharmacopoliis praescriberent, et quovis mense praeterlapso, de numero partus editi et infantum in lucem editorum, ad Cancellariam Medicam, referrent.

Quod vero *ſcholam pro obſtetricibus* ſpectat, haec non ante triennium elapsum Mosquae ador-

nata eſt. Anno enim 1757 die 18 Maji muneri Docentis, pro inſtitutione obſtetricum, admotus et tanquam obſtetricator primarius Mosquensis conſtitutus eſt a Cancellaria Medica Doctor Medicinae et Universitatis Profeſſor *Ioannes Fridericus Erasmus*, et tanquam ipsius adjutor atque operator *Ioannes Pagenkampf*, qui quondam Chirurgus fuerat aulicus. (g) Ab ipso hoc tempore inde *res obſtetricia* rite conſtituta eſt et triginta quinque obſtetrices (h), viginti annorum spatio, quibus munere ſuo

---

(g) Vid. Указъ изъ Конторы, что Санктпетербургская Медицинская Канцелярія 1757 года Маія 18 дня опредѣляетъ Доктора Іоанна Фридриха Эразмуса въ службу ЕЯ ИМПЕРАТОРСКАГО ВЕЛИЧЕСТВА: „И быть вамъ въ Москвѣ при учреждаемой для обученія ученицъ бабичьеи школѣ, да при васъ для вспоможенія въ Москвѣ бывшаго Двора ЕЯ ИМПЕРАТОРСКАГО ВЕЛИЧЕСТВА Гофхирурга Лѣкаря Ивана Пагенкампфа.

(h) Quarum nomina haec ſunt: 1) Anna Magdalena Stenge vid. Указъ изъ Медицинской Канцелляріи 1757 года Іюля 9 дня „При Московскомъ Гошпиталѣ Лѣкаря Штенге женѣ Аннѣ Магдаленѣ быть въ Москвѣ старшею бабкою. 2) Nenila Michailowa. Vid Указъ 1757 года Октября 29 „Умершаго Армянина Алексѣя Петрова вдовѣ Ненилѣ Михайловой быть въ Москвѣ младшею бабкою.“ 3) Sophia Chriſtophorowa Rant. 4) Malanja Afanasjeva Scherbakowa, quae e numero earum fuit, quae absque debita inſtitutione praevia, ob habitum acquisitum, licentiam praxin obſtetriciam exercendi accepit. In conſtitutione ejus enim ſequentia inveniuntur verba: „Въ должности повивальной бабки опредѣлена Степана Щербакова жена вдова Маланья Афанасьева 5) Elisaveta Ivanova. 6) Anna Davidova Solovieva: conſtituta eſt anno 1758 die 31 Janarii 7) Anna Barbara Spille

functus eſt D. *Erasmus*, examine publico praevio, licentiam praxin obſtetriciam exercendi, legitime a Cancellaria Medica obtinuerunt.

Doctor et Profeſſor *Erasmus* mortuus eſt anno 1777 die 3 Junii, poſtquam per viginti annos munere obſtetricatoris primarii functus erat. Ex documentis et ſcriptis historicis patet, illum lectiones ſuas pro obſtetricibus, incoepiſſe anno 1758 die 15 Aprilis, bis per ſeptimanam, idque hora pomeridiana tertia die Martis et Veneris in domo ſua, usumque eſſe pro compendio initio *Thebesio* et deinde compendio proprio ſuo. (i)

conſt. 1758 die 28 Martii 8) Chriſtina Elisabeth Reüſs conſt. 1759 die 26 Januar. 9) Anna Dippe conſt. 1759 die 17 Martii. 10) Eliſabeth Rudolph, cognomine Finger conſt. 1760 die 17 Aprilis. 11) Concordia Grogolovsky conſt. 1760 die 17 Aprilis. 12) Maria Elisabeth Ortleben conſt. 1770 die 20 Maji. 13) Catharina Blech. 14) Anna Maria Koch. 15) Anna Helena von der Stamme conſt. 1763 die 30 Maji. 16) Catharina Martinova Fenzan conſt. 1769 die 30 Maji. 17) Helena Balberg. 18) Maria Ioachimson. 19) Maria Weiss. 20) Chriſtina Petrova Lau. 21) Chriſtina von Walle conſt. 1770 die 22 Iulii. 22) Maria Dorothea Boettger conſt. 1771 die 19 Januarii. 23) Anna Marggraf conſt. 1773 die 15 Aprilis. 24) Suſanna Rügel. 25) Anna Gorbunov. 26) Elisabeth Roth. 27) Elisabeth Behrenz. 28) Eleonora Schreyer. 29) Helena Richter. 30) Eva Petſch conſt. 1773 dje 14 Iunii. 31) Darja Jvànova Kock, cognomine de Jaminet, conſt. 1775 die 21 Septembr. 32) Vera Maſon. 33) Anna Janhohn. 34) Anna Zinger. 35) Chriſtina Simonis.

(i) Sub titulo „Наставленіе, какъ женщинамъ въ беременности, въ „родахъ и послѣ родовъ себя содержать надлежитъ. Москва. 1762.“

Tandem vero anno 1764 a Collegio Medico injunctum ipsi eſt, ut uteretur compendio *von Horni*, quod in ruſſicam linguam verſerat *Pagenkampf* Operator (k). Anno 1763 Cancellaria Medica Doctori *Erasmo* peculiare mandatum misit, quo tenebatur admittere pralectionibus obſtetriciis, in domo ſua, ſex discipulos (l) ex alumnis Chirurgiae nosocomii majoris militaris, ad ductum compendii Rödereri. At enim vero, ſub finem ejusdem anni, (1763 die 15 Decembris) ſub regimine Imperatricis CATHARINAE SECUNDAE, constitutum eſt *Collegium Medicum*, cujus membra fuerunt, *Praeses* Liber Baro a *Tscherkaſſov* et reliqua *ab Asch*, *Pecken*, *Lindemann*, *Model*, *Wulff* et *Block*, quo facto inſtitutio horum alumnorum iterum interdicta fuit. *Ioannes Pagenkampf*, qui operatoris munere et adjutoris *Erasmi* functus erat, morte ſublatus eſt anno 1766 et in illius locum conſtitutus eſt *Carolus Bergmann* (m) a Collegio Medico anno 1766, qui per longam annorum ſeriem, praxin obſtetriciam Mosquae fau-

---

(k) Sub titulo: „Повивальная бабка, или достовѣрное наставленіе чрезъ вопросы и отвѣты, какимъ образомъ женщинамъ въ родахъ вспоможеніе учинить. Москва. 1764.“

(l) Nomina eorum haec ſunt: 1) Strelezky, 2) Koslovſky, 3) Krivetzky, 4) Kalezky, 5) Schilovſky et 6) Grinevſky.

(m) Vid. Указъ Медицинской Коллегіи Азовскаго полка Лѣкарю *Карлу Густаву Бергманну* 1766 года Іюля 6 дня.

ftiffimo fucceffu exercuit. Vir fuit et eft experientia et affiduitate de urbe hac noftra impense meritus, nec non ob probitatem et morum integritatem omnibus bonis ad hunc usque diem charus.

Poft obitum Doctoris *Erasmi* munere ipsius, publica auctoritate, functus eft Doctor *Martinus Mahs*, qui mense Septembri anni 1777 Mosquam adiit. Ab hoc inde tempore circiter in usu effe coepit, admittere obftetricatores in partu naturali et praeternaturali pro ope ferenda. Meritiffimus hic vir eruditione, fingulari animi candore atque humanitate fuit insignis, cujus praematuram mortem plures Mosquae incolae adhuc lugent. E vivis vero ereptus eft anno 1782 die 9 Aprilis febri continua, qua per contagium ab aegroto quodam fuo affectus eft. Succeffor muneris ipsius fuit Doctor Medicinae *Elias Rutzkoy*, qui anno 1782 die 10 Octobris tanquam medicus obftetricator primarius Mosquensis a Collegio Medico conftitutus eft. Eidem inftitutio obftetricum commiffa eft, et duodecim obftetrices (n), fub ejus auspiciis, licentiam praxin exercendi acceperunt.

(n) 36) Sophia Linneker cognomine Mühlentz. 37) Catharina Müller 38) Elisabeth Ernft. 39) Catharina Danilowa Savyn conft. 1782 die 21 Decembris. 40) Matrena Soze. conft. 1785 die 25 Febr.

At enim vero Doctor *Rutzkoy* per quatuor tantum annos munere ſuo fungi potuit, et menſe Auguſto anni 1786 hydrope confectus eſt, cujus ſucceſſor muneris fuit, tanquam medicus obſtetricator primarius, Doctor Medicinae *Grigorius Timtſchenko* et per illud ipsum tempus viginti quinque obſtetrices (o) publice conſtitutae ſunt. Anno 1791 adjutor Doctoris Timtschenko et Operator ſupra laudatus Protochirurgus *Bergmann*, ob valetudinem minus firmam, muneri ſuo abdicavit, et in ipsius locum conſtitutus eſt eodem anno (1791) die 4

---

41) Catharina Roſe conſt. 1785 die 25 Febr. 42) Anna Bitzger cognomine Streiter conſt. 1785 die 25 Febr. 43) Anna Pimpel conſt. 1785 die 25 Febr. 44) Anna Schalmann conſt. 1785 die 29 Octobr. 45) Anna Robert conſt. 1786 die 15 Sept. 46) Marja Ruprecht conſt. 1786. die 25 Maji. 47) Eliſabeth Demuth conſt. 1786. die 25 Maji.

(o) 48) Chriſtina Schröder conſt. 1787 die 5 Jul. 49) Margaretha Hertel conſt. 1788 die 1 Martii. 50) Catharina Derepke conſt. 1788 die 1 Martii 51) Anna Seipel conſt. 1788 die 1 Martii. 52) Catharina von der Bellen conſt. 1789 die 21 Dec. 53) Anna Seldmann conſt. 1789 die 21 Dec. 54) Natalia Rettich conſt, 1789 die 21 Dec. 55) Marja Holzmüller conſt. 1789 die 21 Dec. 56) Christina Stecher const. 1789 die 21 Dec. 57) Marja Werner conſt. 1791 die 15 Maji. 58) Anna Sperling conſt. 1791 die 15 Maii 59) Maria Müller conſt. 1791 die 15 Maji. 60) Anna Page conſt. 1791. die 15 Maji. 61) Eliſabeth Firmann conſt. 1791 die 15 Maji. 62) Maria Ianſon const. 1791 die 15 Maii. 63) Maria Leibrecht conſt. 1791 die 29 Dec. 64) Anna Hedenſtröm conſt. 1791 die 29 Dec. 65) Catharina Krüger const. 1691 die 27 Dec. 66) Anna Heyn conſt. 1791 die 29 Dec. 67) Helena Cederberg conſt. 1791 die 29 Decembr. 68) Catharina Wagner conſt. 1792 die 12 Jul. 69 Charlotta Hitte conſt. 1792 die

Augufti Chirurgus *Ioannes Carolus Kreüsel.* Anno 1792, idque mense Januario, viginti obftetrices in variis urbis Mosquensis partibus publice conftitutae funt, id quod patet ex publicis fcriptis Collegii Medici. Doctor Timtschenko anno 1793 morbo confectus e vivis absceffit et illius munus, publica auctoritate, accepit Medicinae Doctor ac Academiae Medico-Chirurgicae Profeffor *Alexander Schumljansky* die 11 Novembris anni 1793. Per breve tempus tantum licuit huic viro eruditisfimo munere fuo fungi, quia praematura morte mense Majo anni 1795 jam ereptus eft. Eodem duce duae tantum obftetrices (p) publice conftitutae funt.

Poft mortem Doctoris *Schumljansky* munus medici obftetricatoris primarii Mosquensis demandatum eft Doctori Medicinae atque artis Obftetriciae in Universitate Mosquensi Profeffori *Guilielmo Michaëli Richter*, fpeciali mandato Collegii medici, die 5 Julii anni 1795. Ab illo inde tempore, ad annum 1806 usque, per XI annos non tantum inftitutioni obftetricum praefui, fed etiam praxin medicam et obftetriciam (ab a. 1790 inde) per hos viginti annos, in vaftiffima noftra

12 Jul. 70) Anna Stickel conft. 1792 die 12 Jul. 71) Maria Schirmer conft. 1792 die 30 Septembr. 72) Naftafia Rukolzow conft. 1792 die 30 Septembr.

(p) 73) Louisa Elisabeth Borome conft. 1794 die 10 Junii. 74) Anna Sebaftian conft. 1795.

urbe, inter varios civium ordines, exercui. Viginti obſtetrices (q), quae meis praelectionibus artem Obſtetriciam addiscere coeperunt, examine praevio, publice conſtitutae fuerunt, praeter viginti alias, quae ex inſtituto obſtetricio Orphanotrophei Mosquensis (de quibus Capite II agetur) a me dimiſſae ſunt.

Ex his, modo commemoratis, patet, lectiones theoreticas artis Obstetriciae ab anno 1757 inde habitas eſſe, pro obſtetricibus junioribus in domo cujuslibet Medici obſtetricatoris vel Profeſſoris deſignati, bis per ſeptimanam, et per dimidium ſaeculum 94 obſtetrices, examine praevio, licentiam praxin exercendi accepiſſe. Docentium quilibet operationes manuales monſtravit vel in pelvi, vel ultimis decenniis in machina coriacea peculiari (fan-

(q) 75) Anna Bolentin conſt. 1798 die 22 Januar. 76) Maria Hongelin conſt. 1798 die 22 Januar. 77) Catharina Chmelevsky. 78) Dorothea Albers conſt. die 12 April. 1800. 79) Eliſabeth Gänſebach conſt. die 12 April. 1800. 80) Marja Klethy conſt. die 25 April. 1800. 81) Iohanna Zacharias 82) Thereſia Rako. 83) Anna Stoidel conſt. die 4 Januar. 1801. 84) Maria Fenzan conſt. die 4 Januar 1801. 85) Maria Berger. 86) Anna Brandt conſt. die 29 Jul. 1801. 87) Amalia Strauch conſt. die 29 Jul. 1801. 88) Catharina Nizmann conſt. 27 die Auguſt. 1801. 89) Anna Beüttner conſt. die 2 Septembr. 1801 90) Maria Schultz conſt. die 22 Martii 1804. 91) Eliſabeth Iahn cognomine Kolbe conſt. die 22 Martii 1804. 92) Maria Preüſchmann conſt. die 14 Martii 1805. 93) Ulrica Eleonora Geyer conſt. 1805 die 14 Martii. 94) Anna Bojanus conſt. die 14 Martii 1805.

tome dicta) et usuali. At enim vero non temere defiderabatur, inter inftitutionem ejusmodi theoreticam, *exercitium practicum*, quoniam Profeffori ejusmodi a Collegio Medico conftituto, non licuit cum obftetricibus adire gynaeceum vel nosocomium puerperarum Orphanotrophei, quo exercitationes exploratoriae suscipi vel partus adminicula, coram lectis parturientium, monftrari poffent. Neque reticendum eft, numerum obftetricum, quae per dimidium faeculum, ejusmodi inftitutione, cursum lectionum absolverent et tanquam obftetrices publice conftitutae fuerint, minime fuffeciffe pro urbibus provincialibus atque oppidis in vaftiffimo Ruffico imperio. Ob duplicem hanc rationem itaque, primo fcilicet ob defectum exercitii practici, deinde eo consilio, ut major numerus obftetricum quotannis publice conftitui poffet, Augustissima Imperatrix Maria, de falute publica provida mente follicita, ac pia humanitatis voce commota, *novum inftitutum obftetricium* cum Petropoli tum Mosquae adornare ac conftituere, et illud cum nosodochio puerperarum Orphanotrorhei Caesarei conjungere, haud inconfultum duxit.

Poftquam mihi contigit munere illo medici obftetricatoris primarii, a Collegio medico conftituti, per XI annos fungi, tandem anno 1806 litteras

ſupplices exhibui et dimiſſionem ab hoc officio eodem anno accepi. Eo tempore, quo eodem functus ſum, a latere mihi fuit operator et chirurgus *Ioannes Kreüsel* ad annum 1802 uſque, quo ſucceſſor muneris eius factus eſt *Antonius Marcus*, praematura morte anno 1806 e vivis ereptus. (r)

Liceat denique hoc loco, dum de re Obſtetricia in genere agimus, commemorare, PAULO PRIMO regnante, anno 1797 ſingulas in ſingulis urbibus provincialibus (quas dicunt губернскіе города et quarum ſunt XXXIV) obſtetrices eaſque cum ſalario 120 rubelorum conſtitutas eſse: nec non in oppidis minoribus (уѣздные города, quorum ſunt CCCLIV) totidem obſtetrices, cum ſalario 80 rubelorum. (s) Praeterea in qualibet urbe provinciali obſtetricator publico muneri admotus eſt cum ſalario 600 rubelorum; e quibus omnibus patet, munificentia AUGUSTISSIMI IMPERATORIS, pro conſtituenda re obſtetricia, modo commemorata ratione, 52,800 rubelos quovis anno impendi.

(r) Poſt obitum D. Marcus et poſt abdicationem meam, munus duplex obſtetricatoris Moſquenſis primarii et operatoris, in unum conjunctum et publica auctoritate demandatum eſt Conſiliario Aulico, Medicinae Doctori et Academiae Medico-Chirurgicae Profeſſori *Gabrieli Popow*, qui clariſſimus vir, eodem ad hunc usque diem fungitur.

(s) Vid. Высочайше утвержденной докладъ отъ Медицинской Коллегіи 1797 года Генваря 30 дня.

CAPUT II.

DE INSTITUTO OBSTETRICIO ET NOSOCOMIO PUERPERARUM ORPHANOTROPHEI CAESAREI MOSQUENSIS,

cum tabula ſynoptica, quot partus et quo ſucceſsu, ſpatio ſex annorum, abſoluti ſint cum epicriſi.

Nemini obſcurum vel ignotum eſse arbitror, Orphanotropheum Caeſareum Moſquenſe, inter plura ejusmodi Europae hodiernae inſtituta publica, non temere primarium locum occupare, illudque ſempiternum fore monumentum munificentiae ac ſapientiae CATHARINAE MAGNAE, quae fundavit, et *Auguſtiſſimae Imperatricis* MARIAE, quae materna ſolertia idem alit, ampliavit et ad ſummum ordinis ſtabiliti ac commodi culmen evexit. Brevi tempore poſt inaugurationem Orphanotrophei, id eſt anno 1764, conſtitutum eſt in eodem etiam *noſocomium puerperarum* pro 20 lectis, quo pauperes mulieres gra-

vidae reciperentur, poſt partum editum áutem infantem derelinquere et publicae educationi in eodem Orphanotropheo tradere obſtringerentur. Ne autem a propoſito argumento aberrare videar, ſufficiat mihi nunc, omiſsis omnibus reliquis, (t) de iis tantummodo agere, quae reſpiciunt *novum Inſtitutum obſtetricium*, non ita pridem fundatum, vel quae ab illo tempore inde in publicum commodum facta vel adornata ſunt. Novum hoc inſtitutum debetur unice maternae ſolertiae ac humanitati *Auguſtiſſimae Imperatricis* MARIAE, quae veram ſe praeſtitit matrem non tantum orphanorum, ſed etiam omnium novercali ſorte oppreſsórum.

Conſtitutum illud eſt eum in finem, ut plures obſtetrices peritae ex alumnis orphanotrophei formentur continuo, quae non ſolum inſtitutionem nanciſcantur theoreticam ſufficientem, ſed etiam exercitio practico in noſodochio puerperarum, coram lectis parturientium, admoveri poſſint. Ex hiſce facili conjectura patet, quanta utilitas in publicum

(t) Taceam hic etiam de eo:, quod ab anno 1806 inde alterum nosodochium puerperarum in eodem Orphanotropheo hic Mosquae ab AUGUSTISSIMA IMPERATRICE fundatum ſit, itidem pro 20 lectis, quod matribus, conjugio legitimo impraegnatis, ſed pauperibus deſignatum eſt. Hoc noſocomium, quoad elegantiam et ſubſidiorum abundantiam et ordinem, ſui par vix inveniet.

commodum redundare debeat, ſi magnus numerus ejusmodi peritarum obſtetricum, in urbibus provincialibus et oppidis, publica auctoritate quovis anno conſtitui poſſit. Menſe itaque Octobri anni 1800 munus Directoris hujus novi inſtituti, ab AUGUSTISSIMA IMPERATRICE, mihi demandatum et inſimul injunctum eſt, ut abſque mora, pro novo inſtante anno, omnia subſidia literaria, pro inſtitutione theoretica et practica, nec non adminicula oeconomica, pro alumnis excipiendis, alendis et ſ. p. adornarentur ac conſtituerentur. Accepi eo tempore etiam ſtatuta novi hujus inſtituti, ab AUGUSTISSIMA IMPERATRICE ſancita ac confirmata, quibus ratio atque ordo, ſecundum quem praelectiones tradi poſſint et inſtitutio fieri debeat, accurate praeſcribuntur. Neceſse itaque fuit curare, ut numerus ſufficiens hypocauſtorum in ipſo Orphanotropheo adornaretur, pro auditorio, pro domicilio alumnarum, pro gynaeceo ipſo; ut novus faſciarum, linteaminum atque inſtrumentorum apparatus, compararetur, et in genere ſubſidia literaria, uti bibliotheca qualiſcunque obſtetricia, praeparata anatomica et ſ. p. in promptu eſsent, nec non ut Docentes conſtituerentur. Quae cum omnia, ad normam in ſtatutis exacte praeſcriptam facta ac ſpatio duorum menſium adornata eſsent, ipſa inauguratio *novi hujus inſtituti Obſtetricii*, die primo Ianuarii anni 1801, (novo ſaeculo ineun-

te) per me locum habuit, publica feſtivitate, qua orationem ex cathedra recitavi, *de ortu, progreſsu atque utilitate artis obſtetriciae*, quam lingua ruſſica habitam, typis excudendam curavi (u).

Secundum ſtatuta, ab AUGUSTISSIMA IMPERATRICE confirmata, *inſtitutum hoc Obſtetricium* conſtat ex Directore, Profeſsore et Repetitore, qui etiam linguam Germanicam docet, nec non ex decem alumnis Orphanotrophei, quibus praeeſt peculiaris Inſpectrix. Quaecunque alumnae ingrediuntur inſtitutum, tenentur in eodem manere per tres annos, et ſi tunc examine inſtituto, nondum dignae cenſentur, quin conſtituantur tanquam obſtetrices, ultra triennium. Sunt hae virgines XVI vel XVII annorum, quarum ſelectio e reliquis alumnis Orphanotrophei ſcrupuloſe inſtituitur et quae, ſi poſtea legitime tanquam obſtetrices conſtitutae ſunt, plerumque ſtatim matrimonium ineunt, et munere ſuo optimo cum ſucceſsu funguntur. Experientia enim evidenter demonſtravit, praecepta cujuſvis artis facilius inſtillari poſse *junioribus*, quam mulieribus *decrepitis*, ſuperſtitioſis ac ſtupidis, qua de cauſa AUGUSTISSIMA IMPERATRIX hunc recipiendi ordinem conſtituit.

Subſidiis literariis inſtituti adnumerari debet *bibliotheca obſtetricia*, *collectio praeparatorum ana-*

(u) Vid. Слово о первоначальномъ происхожденiи, постепенномъ приведенiи въ совершенство и отмѣнной пользѣ повивальнаго искусства. Москва 1801. in quarto.

tomicorum, rem obftetriciam fpectantium, *machina coriacea* (*Fantome*), pro exercitio mechanico operationum manualium, quae fuperimponitur lectifellae obftetriciae. Princeps vero fubfidium pro praxi, fiftit *duplex nofocomium puerperarum Orphanotrophei*, quorum fingula, prouti jam fupra commemoravi, 20 lectos offerunt, pro excipiendis gravidis ac puerperis. In altero nofocomio, quod per tot annos jam conftitutum eft, quovis anno ultra 400 partus eduntur, id quod ex tabula fynoptica infra accuratius apparebit, ut taceam de altero nofocomio, non ita pridem conftituto, pro excipiendis foeminis probis, conjugii vinculo, cum maritis legitime conjunctis. Poftquam itaque prius anni dimidium, pro alumnis noviter receptis, elapfum eft, illae jam tenentur adftare cuivis partui ex ordine, et deinde fub manuductione docentium, non folum quaevis notatu digna in graviditate ac partu in peculiari libro notare, fed etiam in partu ipfo manus auxiliatrices afferre et ita quidem, ut ex alumnis, quavis feptimana, duae alternatim nofocomium ingrediantur.

Quod curfum lectionum et methodum docendi attinet, fequens ordo ftabilitus invenitur, ut horae, inprimis matutinae, dicatae fint inftitutioni artis Obftetriciae, linguae Rufficae ac Germanicae, idque bis per feptimanam pro Directore, et totidem

pro Profeffore; reliquae horae vero pro Repetitore. Ut in inftitutione per varios docentes unus idemque ordo teneatur, ftatutis inftituti expreffe praefcriptum eft, ut Director novum compendium pro obftetricibus lingua Ruffica conficeret, quod fili inftar omnes in praelectionibus fequi poffent. Quare, ut ftatutis faciam fatis, circa finem anni 1801, compendium in ufum obftetricum confcripfi et typis mandavi. (v) Quolibet anno bis abfolvitur curfus lectionum pro obftetricibus, ita ut per triennium iis ars Obftetricia, toto ambitu, fex vicibus tradatur. Dies mercurii horis matutinis dicatus eft exercitio practico, pro exploratione obftetricia in nofocomio puerperarum, ubi discentes varias mutationes, in graviditate fupervenientes et f. p. peculiari libro annotare tenentur, fub manuductione Profefforis. Die vero faturni Director brevem init repetitionem eorum, quae per integram hebdomadem discentibus tradere contigit. Fauftiffimam occafionem iis vero, praxin obftetriciam exercendi, offert *nofocomium puerperarum* vicinum, quo primo triennio poft inaugurationem inftituti factam, 1253 partus abfoluti funt, quibus omnibus adftare et in quolibet partu figil-

(v) Prodiit Mofquae anno 1801 fub titulo: Руководство къ повивальному искусству, основанное на новѣйшихъ опытахъ in octavo. Ejusmodi enim compendium, quod novis inventis artis obftetriciae ditatum fit, lingua Ruffica adhuc revera defiderabatur.

latim manus auxiliatrices afferre, potuerunt decem ex difcentibus alumnis.

Abfoluto per tres annos curfu lectionum artis Obftetriciae, illae discentium, quae optimos fecerunt progreffus, admoventur examini publico rigorofo, in praefentia membrorum Collegii medici. Quodfi cum laude ac applaufu examen fubierunt, publica auctoritate, tanquam *obftetrices* conftituuntur et in varias Imperii provincias mittuntur. Ut benefica admodum variolarum vaccinarum infitio latius per Rufficum Imperium propagetur, veniam ab AUGUSTISSIMA IMPERATRICE petii atque accepi, ut levis haec operatio ipfis monftretur.

Hac, modo commemorata, ratione per fex annos, quibus inftituto huic Obftetricio praefui, fequentes viginti obftetrices (x) examen cum laude

(x) 95) Avdotja Fedorowa conftituta in urbe Kafan. 96) Anna Fedorowa in urbe Brjansk, Gubernii Orlovienfis. 97) Natalia Ivanova in urbe Makariew, Gubernii Nifchnei-Novogrodienfis. 98) Palageja Petrowa in urbe Symbyrsk. 99) Olga Ivanova et 100) Darja Nikitina in nofocomio puerperarum Orphonotrophei Mofquenfis conftitutae funt. 101) Tatjana Gavrilowa in urbe Tagganrok. 102) Anisja Alexejewa in urbe Saratow. 103) Avdotja Alexandrowa in urbe Tobolsk. 104) Arina Dorofejeva in urbe Odeffa. Omnes hae decem alumnae a Collegio medico tanquam obftetrices conftitutae funt die 8 Februarii anni 1804. —

Secundo triennio a fine 1803 ad finem anni 1806 elapfo, fequentes obftetrices conftitutae funt: 105) Eupraxeja Michailowa in oppido Sifram. 106) Palageja Nikitina — Kaffimov. 107) Avdotja Petrova — Jelezk. 108) Nenila Andrejeva in nofocomio puerperarum Orphanotrophei Mofquenfis conftituta. 109) Elifaveta Ivanova — Obojan. 110) Catharina Nicolajeva — Oftrogosk. 111) Prafcovia Fedorova — Gluchow. 112) Naftasja Martinova — Sevsk. 113) Afimja Petrowa Mofquae conftituta et 114) Elifaveta Ivanova — Mzensk.

Praeter obftetrices modo commemoratas per fexennium, quo nofocomio huic praefui, etiam fequentes Candidati ex Academia Medico-

ſubierunt et artem ſuam optimo cum ſucceſſu, variis in locis, nunc exercent.

In *noſocomio puerperarum* etiam, ab initio anni 1801 inde, quo inſtituti inauguratio facta, peculiaris liber dicatus eſt, quo notari debent exacte non ſolum ſtadia partus et juvamen allatum, ſed etiam nomen, aetas puerperarum, terminus graviditatis et ſ. p. Quare ab illo tempore inde, mihi licuit conſpectum ſynopticum publici juris facere, quot partus per ſexennium (quo inſtitutum Obſtetricium et noſocomium puerperarum curae meae commiſſum erat,) in Orphanotropheo Moſquenſi abſoluti fuerint. Jiſdem vero ſex annis elapſis, quoniam functione Profeſſoris in Univerſitate et inprimis praxi obſtetricia et tot negotiis, in vaſtiſſima hac urbe, obrutus fui, ut ad veritatem apposite, vires tanto oneri ferendo impares eſſent, ab Augustissima Imperatrice dimiſſionem a munere Directoris petii, quam etiam gratioſe mihi conceſſit (y).

Chirurgica noſocomium Orphanotrophei, exercitii practici gratia, adierunt. Anno 1801 Ioannes Oberling, Demunt, Dworezky, Polycarpow, Moratſhchewsky, Bykovsky, Malinovsky, Minervin, Venedictov, Belago, Brazlavsky, Michailov, Badimisky, Bereſovsky, Hühnerfeld, Gorsky. Anno 1802 Müller, Kappelmann, Steineke, Stephanovsky, Tſchaikovsky, Bruntz. Anno 1803, Butkovsky, Visozky, Likov, Protopopof, Schiraevsky, Schüz, Sapoladovsky, et Eveſt.

(y) Ab illo tempore inde viri digniſſimi ac mihi amiciſſimi huic inſtituto praeſunt, et quidem munere Directoris ab anno 1807 inde fungitur *Godofredus Tannenberg*, Conſiliarius Status et Medicinae Doctor, munere Profeſſoris *Ioannes Wenſſovitſch*, Conſiliarius aulicus, Medicinae Doctor et Univerſitatis Profeſſor, nec non munere Repetitoris *Andreas Claus*, Collegiorum Aſſeſſor et Protochirurgus, qui in conficienda hac tabula Synoptica me adjuvit, quam itaque hic publici juris facio.

TABULA.

Tabula Synoptica prima,

Sistens

Conspectum, quot partus et quo modo in Nosocomio puerperarum Orphanotrophei Caesarei Mosquensis, spatio sex annorum, quibus eidem praefui, absoluti sint,

i. e. a primo Januarii anni 1801 inde, ad primum Januarii 1807 usque.

Annus, quo partus absolvebantur.	Conspectus puerperarum et infantum neonatorum.												Modus, quo partus absolvebatur.										
	Numerus.			*Aetas gravidarum.*				*Numerus et sexus.*					*Naturalis.*				*Praeternaturalis.*						
	Numerus partuum.	Puerperae convaluerunt.	Puerperae mortuae.	Aetatis anno inter 14 et 20.	Aetatis anno inter 20 et 30.	Aetatis anno inter 30 et 40.	Aetatis anno inter 40 et 50 et ultra.	Infantes in lucem editi.	Vivi.	Mortui.	Pueri.	Puellae.	Partus naturales in genere.	P. praematuri.	Gemelli.	Tergemini.	Quot partus praeternaturales in genere.	Pedibus praeviis.	Genubus praeviis.	Natibus praeviis.	Versio infantis instituta.	Forceps applicata.	Perforatio capitis instituta.
1801.	412	410	2	43	231	117	21	422	386	36	226	196	371	5	10	0	26	3	1	12	6	4	0
1802.	447	447	0	42	248	139	18	457	426	31	256	201	412	2	8	1	24	2	0	8	8	5	1
1803.	394	389	5	36	213	135	10	407	395	12	184	223	356	4	13	0	21	7	0	4	7	3	0
1804.	429	421	8	35	267	118	9	436	408	28	217	219	400	6	7	0	16	4	1	9	1	0	1
1805.	432	432	0	41	271	100	20	441	416	25	235	206	409	2	9	0	12	5	0	6	0	1	0
1806.	457	454	3	27	298	118	14	464	435	29	237	227	426	3	5	1	22	7	0	9	3	2	1
Summa.	2571	2553	18	224	1528	727	92	2627	2466	161	1355	1272	2374	22	52	2	121	28	2	48	25	15	3
	2571			2571 gemelli 52 tergemini 4 2627					2627		2627		2571					121					

Epicrisis

TABULAE SYNOPTICAE PRIMAE.

Numerus puerorum, per 6 annorum ſpatium, in lucem editorum, ſuperat numerum puellarum 83.

Plurimi partus locum habuerunt tempore hyemali et autumnali, et quidem menſe Ianuario 297, Menſe Octobri 267, menſe Februario 250, Novembri 232, Martio 231. Minor numerus menſibus aeſtivis, uti Majo 197, Septembri 195, Auguſto 194, Aprili 184, lunio 180, Decembri 178, et Iulio 166. Quibus itaque patet, calculo per ſex annos inſtituto, maximum numerum partuum fuiſſe menſe Ianuario et minimum menſe Iulio.

Aetas foeminarum, qua maxima foecunditas obſervabatur, fuit illa, inter vigeſimum et triceſimum aetatis annum; numerus etenim 1528 partuum duplum excedit omnium partuum per ſexennium: minor foecunditas aetate intermedia inter tertium et quartum vitae decennium et quidem 727 partus. Puerperarum numerus, quae inter XIV et XX annum partum enixae erant, fuerunt 224, et omnium minimus numerus 92, quae quartum aetatis decennium tranſegerunt. Inter has habuimns plures vetulas puerperas 46, 47 et 48 annorum, et unicam anno 1806, quae enunciavit ſe,

eodem tempore, quo in nofocomio fuit, 54 annum ingrefsam efse.

Quoad primiparas et multiparas, fingularis nobis se obtulit obfervatio, maximam frequentiam puerperarum in nofocomio fuifse illarum, quae fuerant primiparae, minorem illarum, quae fecunda, tertia (et fic porro progreffive) quarta graviditate intrarunt. Ratio forsan inde petenda, quia foeminae, pluries partum enixae, praeter nofocomium publicum alium etiam quemcunque locum facile invenerunt, ubi partum edere potuerant, prouti haec ex fequenti fcala, ad veritatem appofite et accurate confecta, patent. Praeterea faecunditas aetate provectiori imminuitur.

Adierunt nofocomium enim

	Prima graviditate.	Secunda graviditate.	Tertia graviditate.	Quarta graviditate.	Qvinta graviditate.	Sexta graviditate.	Septima graviditate.	Octava graviditate.	Nona graviditate.	Decima graviditate.	Undecima graviditate.	Duodecima graviditate.	Decima tertia gravid.
Anno 1801 foeminae	172	101	48	22	21	14	7	12	6	4	3	1	1
—— 1802 ——	151	123	69	40	23	12	15	3	2	4	3	2	0
—— 1803 ——	144	90	58	41	22	17	5	7	4	5	1	0	0
—— 1804 ——	151	132	58	36	22	9	10	6	5	1	2	0	0
—— 1805 ——	174	83	69	39	21	15	15	9	4	2	0	1	0
—— 1806 ——	166	128	67	31	25	14	11	5	4	5	0	1	0
Summa per fex annos	958	657	369	203	134	81	63	42	25	21	9	5	1

Inter 22 partus unus fuit praeternaturalis in nofoc. (*)
— 49 — unus fuit partus gemellorum
— 53 — unus — — natibus praeviis
— 92 — unus — — pedibus praeviis
— 102 — unus — — verfione abfolutus
— 116 — unus — — praematurus
— 171 — unus — — forcipe obftetricia abfolutus
— 857 — unus — — perforatione abfolutus
— 1285 — unus — — genubus praeviis
— 1285 — unus — — tergeminum
Et inter 142 puerperas una morte fublata eft. (**)

Spatio hoc fex annorum *per 31 vices* neceffe fuit folutionem placentae operatione manuali adjuvare et femel tantumodo obfervata eft placenta cyftide inclufa.

(*) Magnus numerus partus praeternaturalis obfervati non tanquam abfolute femper talis affumendus eft. Neque enim mirum eft, in nofocomio noftro fat magnum eum fuiffe, cum in vaftiffima noftra urbe illae foeminae, in quibus partus jam initium coepit domi, et quae difficultatem pariendi praevidebant, ex induftria nofocomium petierint pluries incoepto jam fecundo et tertio ftadio partus, quae, si fitus fuiffet naturalis, domi partum expectaffent eumdemque ibidem edidiffent. —

(**) Cl. *Boer*, qui nofocomio puerperarum Vindobonenfi praeeft, fcriptis fuis commemoravit, ibidem anno 1790 inter 958 puerperas *fex* fuiffe morte fublatas, quod utique calculo inftituto probaret, inter 159 puerperas unam effe mortuam. At enim vero apparens haec differentia eo ipfo corrigi debet, quod hic non *unius anni* enumeratio per me publici juris facta fit, fed *fex annorum* confecutive. Experientia vero ubique locorum probat, et Tabulae noftrae Epicrifis demonftrat, hunc numerum puerperarum defunctarum non quovis anno effe unum eumque. Sic anno 1802 inter 447 puerperas et anno 1805 inter 432, *neque una* in nofocomio noftro e vivis erepta eft puerpera. Funeftior autem nobis fuit annus 1803 et inprimis menfis Februarius anni 1804, quo puerperae plures, quae facillimum partum ediderant, febri continua quafi epidemica affectae, nullo artis adminiculo fervari potuerunt.

Caput III.

De Instituto Obstetricio Universitatis Caesareae Mosquensis vel Enumeratio eorum, quae in eodem ab anno 1806 ad 1809 obſervata ſunt, cum tabula ſynoptica circa varium pondus infantum et ſecundinarum, nec non diverſam neonatorum longitudinem, et funiculi umbilicalis, cum Epicrisi.

Inter plurima inſtituta academica et praeſidia litteraria, quibus Augustissimus Imperator Alexander Primus Univerſitatem Caeſaream Mosquenſem inſigni munificentia Sua exornare non dedignatus eſt, haud infimum locum occupat *inſtitutum Obſtetricium*, quod parturientibus aſylum, aegrotantibus ſolamen, et praecipue obſtetricantibus junioribus *ſcholam* optimam offert. Prima inaugurationis ſacra conventu academico celebrata ſunt die 8 Januarii 1806, publica oratione a me habita, *de dignitate atque utilitate artis Obſtetriciae* et ipſum

hoc novum inſtitutum ſtatim ab initio tam ampla ſuppellectile oeconomica, medica et litteraria, tam precioſo inſtrumentorum apparatu et eleganti anatomicorum praeparatorum collectione, tanta abundantia eſt inſtructum, ut ab illo tempore inde nunc, pro Univerſitatis noſtrae non tantum utiliſſimo praeſidio, ſed revera pro maximo ornamento haberi queat et debeat. Quoniam noſodochium hoc puerperarum, vi ſtatutorum academicorum, exercitio practico candidatorum Facultatis Medicae ſolummodo ſit dicatum, de induſtria numerus puerperarum certis limitibus reſtringi debuit et ob eamdem rationem quatuor tantum lecti pro excipiendis gravidis (quatenus nunc ſaltem ſufficiunt) ſunt adornati, eo ſcilicet conſilio, ne ſtudioſi Medicinae, qui praelectionibus reliquis academicis intereſſe tenentur, ab ordine conſtituto abducantur, ne *multa* videant, ſed potius *multum* cum attentione obſervent. Altero jam, poſt inaugurationem factam, inſequente die 9 Januarii prima gravida recepta et *diario* academico inſcripta eſt. Invenitur in eodem accurata enumeratio diei receptionis, aetatis et conſtitutionis gravidae, duplicis termini, quo tempus graviditatis et partus inſtantis dijudicari poteſt, ſuccincta et concinna ſtadiorum partus deſcriptio, ponderis infantis et

placentae per baromacrometrum inveftigati, longitudinis infantis et funiculi, diametrorum capitis neonati, folutionis placentae, juvaminis allati et denique fincera expofitio decurfus puerperii, et morborum huic vitae ftadio propriorum, ad illum diem ufque, quo puerpera nofodochium dereliquit. Non abs re fore itaque vifum eft, ex eodem diario inftituti Obftetricii, ejufmodi, quae per integrum annum hunc 1806 annotare contigit, in brevem colligere fermonem, earum tabulas fynopticas communicare et publici juris facere, quae attentione peculiari haud indigna cenfentur.

TABULA SYNOPTICA SECUNDA,

SISTENS

conſpectum, quot parturientes in inſtituto Obſtetricio Univerſitatis Caeſareae Moſquenſis anno 1806 receptae, et quot infantes in lucem editi ſint.

Quo Menſe.	Numerus gravidarum recept.	Numerus partuum editorum. naturalium.	praeternaturalium.	gemellorum.	infantum mortuorum.	Sexus infantum neonatorum. pueri.	puellae.	Quot puerperae mortuae.
Menſe Januario.	3	2	0	0	0	1	1	0
Februario.	3	2	0	0	0	1	1	0
Martio.	3	2	1	0	0	1	2	0
Aprili.	4	5	0	0	0	2	3	0
Majo.	3	4	0	0	0	3	1	1
Junio.	5	3	0	0	0	2	1	0
Julio.	3	4	0	0	0	3	1	0
Auguſto.	4	4	0	0	0	2	2	0
Septembri.	3	2	0	0	0	1	1	0
Octobri.	3	4	0	0	0	3	1	0
Novembri.	6	7	0	0	0	4	3	0
Decembri.	4	3	1	0	0	2	2	0
	44	42	2	0	0	25	19	1
		44				44		

TABULA SYNOPTICA TERTIA,

SISTENS

CONSPECTUM VARII PONDERIS INFANTIS ET PLACENTAE, NEC NON DIVERSAE LONGITUDINIS NEONATI ET FUNICULI UMBILICALIS, PROUTI PER INTEGRUM ANNUM 1806 IN NOSODOCHIO PUERPERARUM et INSTITUTO OBSTETRICIO UNIVERSITATIS CAESAREAE MOSQUENSIS OBSERVARI POTUIT.

Numerus parturientis et dies partus editi.	Pondus infantis. *Libra subintelligitur ponderis medicinalis.*	Pondus placentae *Libra subintelligitur ponderis medicinalis.*	Longitudo infantis. *Pollices subintelliguntur parisini.*	Longitudo funiculi umbilicalis. *Pollices subintelliguntur parisini.*
N° 1. 31 Ianuar.	$10\frac{3}{4}$	$1\frac{1}{2}$	19	19
N° 2. 30 Ian.	10	$1\frac{1}{2}$	20	$20\frac{1}{2}$
N° 3. 11 Februar.	$8\frac{1}{1}$	$1\frac{1}{2}$	21	21
N° 4. 1 April.	11	2	19	22
N° 5. 22 Febr.	6	1	$16\frac{1}{2}$	$27\frac{1}{2}$
N° 6. 19 April.	$9\frac{1}{2}$	$1\frac{3}{4}$	18	22
N° 7. 8 Martii.	8	$1\frac{1}{2}$	19	20
N° 8. 25 Martii.	9	$1\frac{1}{2}$	18	22
N° 9. 27 Martii.	$7\frac{3}{4}$	$1\frac{1}{4}$	18	24
N° 10. 17 April.	$10\frac{1}{2}$	2	19	$16\frac{1}{2}$
N° 11. 9 April.	8	$1\frac{1}{2}$	18	17
N° 12. 9 April.	$9\frac{1}{2}$	2	19	$22\frac{1}{2}$

Numerus parturientis et dies partus editi.	Pondus infantis. *Libra subintelligitur ponderis medicinalis.*	Pondus placentae. *Libra subintelligitur ponderis medicinalis.*	Longitudo infantis. *Pollices subintelliguntur parisini.*	Longitudo funiculi umbilicalis. *Pollices subintelliguntur parisini.*
N° 13. 3 Maji.	8	$1\frac{1}{2}$	$18\frac{1}{2}$	39
N° 14. 18 Maji.	11	$2\frac{1}{2}$	19	$19\frac{1}{2}$
N° 15. 14 Maji.	8	$1\frac{1}{2}$	17	23
N° 16. 24 Maji.	11	$2\frac{1}{2}$	19	$19\frac{1}{2}$
N° 17. 22 Iunii.	8	$1\frac{1}{2}$	17	$36\frac{1}{2}$
N° 18. 17 Iul.	$9\frac{1}{2}$	$1\frac{1}{2}$	18	27
N° 19. 19 Iunii.	9	2	19	$22\frac{1}{2}$
N° 20. 23 Iunii.	$9\frac{1}{2}$	$1\frac{1}{4}$	$18\frac{1}{2}$	17
N° 21. 1 Iul.	10	$1\frac{1}{2}$	19	18
N° 22. 5 Iul.	9	$1\frac{1}{2}$	18	15
N° 23. 23 Iul.	$9\frac{1}{2}$	$1\frac{1}{4}$	$18\frac{1}{2}$	21
N° 24. 3 August.	7	$1\frac{1}{4}$	18	21
N° 25. 3 August.	$7\frac{1}{2}$	$1\frac{1}{4}$	18	20
N° 26. 6 August.	$9\frac{1}{2}$	$1\frac{3}{4}$	20	17
N° 27. 5 Octobr.	10	$1\frac{1}{2}$	$19\frac{1}{2}$	21
N° 28. 29 August.	$10\frac{1}{2}$	$1\frac{1}{2}$	20	19
N° 29. 1 Octobr.	$10\frac{1}{2}$	$1\frac{1}{2}$	19	27
N° 30. 15 Sept.	$6\frac{1}{2}$	$1\frac{1}{4}$	17	$17\frac{1}{2}$
N° 31. 28 Sept.	11	2	19	25
N° 32. 19 Octobr.	$9\frac{1}{2}$	$1\frac{1}{4}$	18	28

Numerus parturientis et dies partus editi.	Pondus infantis. *Libra subintelligitur ponderis medicinalis.*	Pondus placentae. *Libra subintelligitur ponderis medicinalis.*	Longitudo infantis. *Pollices subintelliguntur parisini.*	Longitudo funiculi umbilicalis. *Pollices subintelliguntur parisini.*
N° 33. 14 Octobr.	$10\frac{1}{2}$	$1\frac{1}{2}$	20	27
N° 34. 18 Novem.	9	$1\frac{3}{4}$	18	18
N° 35. 2 Novem.	9	$1\frac{3}{4}$	17	22
N° 36. 5 Novem.	5	1	15	$17\frac{1}{2}$
N° 37. 8 Novem.	10	$1\frac{1}{4}$	18	23
N° 38. 8 Novem.	10	$1\frac{1}{2}$	18	28
N° 39. 12 Novem.	8	$1\frac{1}{4}$	19	22
N° 40. 14 Novem.	10	$1\frac{1}{2}$	18	15
N° 41. 5 Decem.	6	1	17	20
N° 42. 8 Decem.	10	$1\frac{3}{4}$	19	21
N° 43. 17 Decem.	$8\frac{3}{4}$	$1\frac{3}{4}$	21	18
N° 44. 28 Decem.	$10\frac{1}{4}$	2	18	19

Epicrisis

Tabulae secundae.

Prouti ex confpectu fynoptico patet, per totum annum 44 partus editi funt, qui fatis magnus numerus, primo poft inaugurationem inftituti anno, expectationi noftrae non tantum refpondit, fed revera eam fuperavit. Inter omnes partus enixos, duo folummodo fuerunt praeternaturales et quidem ejufmodi, qui nates praevias obtulerunt. Eorum primus die 8 Martii, verfione infantis artificiali in pedes per me inftituta, praefentibus omnibus Studiofis, fauftiffimo fucceffu terminabatur, et infans itidem vivus manfit. Alter ejusmodi praeternaturalis partus, die 5 Decembris abfolutus, verfionem non admifit; quoniam velamenta ovi, ante ingreffum in inftitutum Obftetricium, fponte difrupta fuerunt et clunes, jam in exitu pelvis minoris haerentes, digito indice, plicae inguinali immiffo, attrahi debuerunt. Omnes reliqui partus editi *naturales* fuerunt, capite non folum praevio, fed etiam debite ac recte collocato, qui adeoque fponte natura, fimpliciffimo juvamine allato, abfque ulla manipulatione graviori, et abfque ullis medicamentis internis, feliciffime abfolvebantur. Plerique partus fpatio 5, 6, 8, vel

E

10 horarum editi funt, id quod diarium inftituti luculenter teftatur. Veram incuneationem capitis obfervare, hoc anno nobis non contigit et ideo etiam applicatio forcipis locum habere non potuit, quam fine indicatione ac neceffitate applicare velle, minime humanum effe credimus, et ideo repudiamus. Fuit quidem unus partus die 2 Aprilis fuccedens No 4, qui lentefcentibus adnumerari poteft. Primos dolores praefagientes percepit parturiens die 1 Aprilis hora vefpertina fexta. Secundum ftadium insequebatur altero die hora tertia matutina, liquor amnii effluxit hora octava matutina, et ipfe partus naturalis, fponte natura fucceffit, hora 1 pomeridiana die 2 Aprilis. Nulla tamen adfuit indicatio pro accelerando partu artificialiter, nullum periculum pro matre, quae jam pridem quater partum facilem enixa erat, neque pro infante, quoniam liquoris amnii effluxus per 4 horas tantumodo praecedebat partum ipfum, et per breve hoc temporis intervallum vita ipfius nulli difcrimini offerri potuit. Neque nos fpes fefellit; nam et mater et infans faufta ac illibata postea fruebantur valetudine.

Omnes infantes, quotquot in lucem editi per annum fuerunt vivi et vegeti, itidem nos dereli-

querunt. Inter 44 puerperas 43 ſanae egreſſae ſunt, et unam earum ſolummodo, fortuito caſu die 5 Maji e vivis ereptam, lugemus. Mulier fuit 23 annorum, conſtitutionis corporis debilis, habitus cholerici, quae fauſtiſſimum partum naturalem, ſpatio 4 horarum, ſponte enixa eſt die 17 Aprilis. Statim poſt partum et primis diebus optime valuit. Tertio die febris lactea obſervabatur ſatis mediocris, mammae inceperunt lacte in iisdem collecto turgere, et omnia fauſtiſſimum puerperium indicare videbantur. At enim vero eodem die animo vehementer fuit et ira commota, quia noluit infantem lactare. Quarto die vomitus factus eſt biliofus, febris accendebatur vehemens, mammae ſubito vacuae factae; ſupervenerunt abdominis colici dolores, cum inſigni ejuſdem intumeſcentia, qualis in peritonitide obſervari ſolet. Omnis cura adhibita fuit, eccoprotica, fomentationes, cataplaſmata, veſicatoria, enemata; ſed incaſſum. Vires poſt tres hebdomades febri continua conſumebantur, neque cortice, valeriana, camphora, naphthis et s. p. reſtitui potuerunt, et ſic morbo periculoſiſſimo tandem nobis erepta eſt ejuſmodi, cui medendo impar habebatur ars.

Epicrisis Tabulae tertiae.

I. *Maximum infantis pondus* fuit XI librarum ponderis medicinalis, quod teftantur 4 partus, et quidem, prouti in tabula fynoptica confpici poffunt, No 4, 14, 16 et 31. Majori huic corporis infantis volumini non femper refpondit longitudo ejus, quae in quolibet hoc partu 19 pollices Parifinos nunquam excedebat. At enim vero habuimus infantes 21 pollicum longitudinis et $8\frac{1}{4}$ librae tantummodo ponderis (N° 3), vel 20 pollicum, et X tantum librarum (N° 2). Minus etiam eidem majori ponderi refpondet longitudo funiculi, qui in infantibus XI librarum habuit bis 19, femel 22 et 25 pollices. Contra in infante tenello, VI librarum ponderis (N° 5), longitudo funiculi obfervabatur $27\frac{1}{2}$ pollicum. Omnibus itaque his probe penfitatis patet, infantem torofum maximi ponderis, non ideo habere maximam longitudinem corporis neque funiculi umbilicalis. Infans minoris ponderis, fed tenuis et gracilis ftructurae, majori gaudere potest proceritate et quoad funiculi longitudinem, infans ponderis mediocris (N° 13) poteft habere *duplo longiorem funiculum*, quam infans XI librarum.

Minimum pondus infantis fuit V librarum (N° 36), quod eo magis mirum videtur, quo minus idem partus pro praematuro haberi poteft. Mater

etenim, macilenta et pusilla mulier, commemoravit, se menstruationem ultima vice habuisse mense Februario, motum vero infantis sensisse mense Iulio, cui termino exacte respondet dies partus 5 Novembris. Praeterea duos vidimus infantes VI *librarum* (N° 5 et 41).

Medium pondus infantis frequentissime observatum est 8, 9 librarum ponderis medicinalis.

II. *Maximum pondus placentae* fuit 2½ librarum in N° 14 et 16, quo duplici partu infans in lucem editus est XI librarum. Quater (N° 4, 12, 19 et 31) observabatur 2 librarum.

Minimum pondus placentae fuit unius librae (N° 36, 5 et 41), quo partu pondus infantis totius 6 libras non excedebat.

Medium pondus placentae, quod saepissime observabatur, plerumque fuit 1½ librae.

III. *Maxima infantis longitudo*, (a vertice ad calces) fuit 21 pollicum Parisinorum N° 3, quater 20 pollicum N° 2, 26, 28 et 33.

Minima longitudo infantis 15 pollicum in infante 5 librarum et in matre pusilla observata N° 36. Quater 17 pollicum. N 15, 17, 30 et 35.

Media longitudo corporis plerumque inventa est 18 pollicum.

IV. *Longitudo funiculi umbilicalis maxima* et revera enormis bis observata est, semel 39 pollicum

in No 13. Mater erat primipara, mediocris ſtaturae corporis, quae infantem in lucem edidit 8 librarum et 18½ pollicum longitudinis. Ob inſolitam funiculi longitudinem, ille *ſexies* circa collum infantis circumvolutus deprehendebatur, et ob raritatem hujus inſoliti phaenomeni, placenta cum funiculo in ſpiritu vini aſſervatur et adjectum eſt praeparatum reliquis anatomicis inſtituti Obſtetricii.

Die 22 Iunii itidem infans 8 librarum (N° 17.) lucem aſpexit, cujus funiculus longitudinem 36½ pollicum habuit.

Minima funiculi longitudo bis fuit 15 pollicum (No 22 et 40).

Media longitudo ipſius fuit 8 et 19 pollicum. At enim vero plerumque longitudo funiculi excedebat longitudinem corporis aliquantulum.

V. *Diametri capitis*, per cephalometrum examinatae, inveniebantur ſequenti proportione:

a) *diameter major*, a radice naſi ad fonticulum minorem, plerumque 4¼ pollicum Pariſinorum. Interdum 4½ (N° 4 et 10) et 4 pollicum (N° 5, 8 et 12).

b) *diameter minor*, ab uno aure tranſverſim ad alterum, plerumque 3¼ pollicum Pariſinorum. Interdum 3½ (uti in N° 18) et 3 pollicum (N° 5, 8 et 12).

c) *diameter maxima*, a mento ad fonticulum minorem, plerumque 5 pollicum. Interdum 5½ pollic. (N° 18, 26) et 4½ (N° 5, 8 et 12).

VI. *Diſtantia humerorum* ſaepiſſime reſpondebat diametro majori capitis, plerumque 4¼ ad 4½ pollices uſque.

TABULA.

TABULA SYNOPTICA QUARTA,

SISTENS CONSPECTUM,

QUOT PARTUS ET QUO MODO IN NOSOCOMIO PUERPERARUM UNIVERSITATIS CAESAREAE MOSQUENSIS, SPATIO QUATUOR ANNORUM, ABSOLUTI SINT.

Annus, quo partus abfolvebantur.	Puerperarum Numerus.				Infantum neonatorum Numerus et fexus.					Modus, quo partus abfolvebatur.								
										Naturalis.		Praeternaturalis.						
	Numerus gravidarum receptarum.	Numerus partuum.	Convaluerunt puerperae.	Puerperae mortuae.	Numerus infantum.	Vivi.	Mortui.	Pueri.	Puellae.	Partus naturales in genere.	Gemelli.	Partus praeternaturales in genere.	Pedibus praevis.	Genubus praevis.	Natibus praevis.	Versio inftituta.	Forceps applicata.	Perforatio capitis.
1806.	44	44	43	1	44	44	0	25	19	42	0	2	0	0	1	1	0	0
1807.	47	47	47	0	47	46	1	24	22	46	0	1	1	0	0	0	0	0
1808.	63	63	63	0	66	65	1	34	32	58	3	5	2	1	1	1	0	0
1809.	101	101	101	0	102	99	3	49	50	95	1	6	3	0	1	1	1	0
Summa.	255	255	254	1	259	254	5	132	123	241	4	14	6	1	3	3	1	0
			255			259		255		259			14					

Caput IV.

HISTORIA PARTUS SINGULARIS,

SUPERFOETATIONEM VERAM MENTIENTIS, CUM DESCRIPTIONE FOETUS PUSILLI, QUI UNO EODEMQUE PARTU CUM ALTERO INFANTE MATURO VIVO IN LUCEM EDITUS EST.

cum tabula I aeri incifa, eoque expreſsa.

Sectio I,

ENUMERATIONEM HISTORICAM SISTENS.

Die xxix Martii anni 1802, hora vefpertina circiter fexta, adiit nofocomium puerperarum in Orphanotropheo Imperiali Mofquenfi, curae meae commifsum, parturiens, quae in secundo jam verfabatur partus ftadio. Velamentis ovi, brevi tempore poft ingref-fum, fponte difruptis, dolores veri ad partum admodum urgebant, ita ut ipse partus pueri sani, robufti ac vegeti facili negotio, breviffimo tempore, abfolveretur. Quadrantis horae fpatio circiter elap-fo, placenta tandem, propria vi uteri, abfque ullo fere artis adjumento, folvebatur. Inter hanc autem fecundinarum excretionem aliquid duri ac

infoliti manui, easdem excipienti, fese obtulit. Curiofitati adeoque ut fieret satis, oculis accuratius perluftranda fuit placenta, et evolutis jamjam ejusdem membranis, apparuit, praeter infantem vivum maturum in lucem editum, alterum adhuc foetum pufillum, (quadrimeftris circiter volumen adaequantem,) mortuum et quodammodo complanatum, inveniri in fecundinis, qui (foetus) membranis ovi partim propriis, partim communibus adhaerebat. Ex habitu externo foetus vix ulla putredinis veftigia obfervavi, etiamfi jam primo intuitu manifeftum effet, foetum hunc diutiffime in utero extinctum et mortuum geftatum fuifse. Curavi itaque ftatim, ut effigies harum fecundinarum, cum foetu annexo, *ad naturalem magnitudinem* accurate delineearetur, et conftitui, hiftoriam fingularis rarioris hujus cafus, pro opportunitate oblata, cum republica litteraria communicare. Ipsum autem praeparatum, fpiritu vini affufo, adjunctum eft reliquis praeparatis inftituti Obftetricii in Orphanotropheo Mofquenfi, et in mufaeo ejus anatomico ad hunc ufque diem affervatur. Priufquam autem ad accuratiorem anatomicam defcriptionem hujus foetus mortui ac fecundinarum accedo, e re efse videtur, ne interrumpatur in pofterum fermonis filum, breviffimis faltem verbis illas difquifitiones praemittere, quae

refpectu matris, durante graviditate, et refpectu infantis primogeniti vivi, a me inftitui potuerant. Fuit mater, quae utrumque foetum hunc inaequalem in lucem edidit, robuftae conftitutionis mulier, XIX annos circiter nata, quae prima vice partum enixa erat. Impraegnationis tempus ab eadem vix accurate determinari potuit, quatenus neque de ultima menftruatione, neque de primo infantis motu percepto certas rationes reddere potuit. Narravit attamen, se nullo notabili morbo in decurfu graviditatis laborafse, neque ullum infolitum incommodum a mortuo hoc infante fenfiffe. Ad quaeftionem propofitam, nonne memor fit caufae cujufdam, cui mors praematura unius foetus probabiliter attribui poffit, refpondebat fimpliciter, hoc forfan inde proveniffe, quod duris ipfa laboribus domefticis addicta, magno corporis nixu, graviffima pondera ac onera elevare, faepiufcule obftricta fuerit. Facillimum de reliquo ac maxime naturalem partum enixa eft, et peracto partus labore, in nofodochio bene valuit, ita ut illud, in decurfu primae poft partum feptimanae, faniffima derelinquere potuerit. Infans denique vivus, prius in lucem editus, nequaquam partu praematuro exclufus fuit, in quod fedulo inquirendum effe, mearum partium effe judicavi. Inveni

enim eumdem fatis robuftum ac vegetum, lac nutricis avide fugentem, facie pulchra, nullaque figna praematurae aetatis prae fe ferentem. Sic color cutis fuit naturalis, oculi alacres, nulla fomnolentia, vox erat fonora, ungues digitorum, manuum ac pedum debitae craffitiei, et ipfe funiculus umbilicalis cito admodum, prouti in infantibus maturis fieri folet, tertio jam poft partum die fponte abfceffit. Eumdem hunc infantem tandem poft menfem elapfum, faniffimum adhuc agnovi, et tanquam talis, infpectione accurata praevia a me inftituta, rus ablegatus idem fuit die xxx Aprilis.

SECTIO II,

DISQUISITIONEM ANATOMICAM EXHIBENS.

Quaecunque, accuratiore difquifitione anatomica, in fecundinis exclufis et in annexo iisdem foetu pufillo mortuo mihi obfervare licuit, breviter nunc defcribam.

I. Placenta inveniebatur duplex, eademque, prouti in gemellis femper fieri folet, in uno loco ad lineam rectam fere (vide iconem annexam Tabulae I A B) juncta, ex membranis ejusdem fibi invicem acquiefcentibus, quod praeter reliqua figna luculentisfime demonftrat, foetus hos fuiffe, a prima

TABULA. I.
ad pagin. 42.



Foetus pusillus, uno eodemque partu cum altero infante maturo et vivo in lucem editus.

ad natural. magnit. delineavit Kollermann. Sculps. Froloff.

conceptione inde, gemellos, non vero diverſo tempore conceptos.

II. Placenta major infantis maturi ac vivi habuit in diametro transversali C D longitudinem pollicum Pariſinorum $6\frac{1}{2}$, neque externa neque interna ejus ſuperficies peculiaris cujusdam inſolitae formae ſpeciem prae ſe ferebat. Craſſities attamen fuit inſignis.

III. Funiculus umbilicalis ejuſdem foetus vivi ſatis fuit craſſus et inſerebatur in loco E.

IV. Interna ſuperficies placentae minoris, uti in gemellis ſaepiuſcule obſervari ſolet, tecta fuit duplici membrana, quarum una, i. e. chorion, utrique infanti communis erat, et utramque placentam ambiebat, nec non ipſius embrionis mortui dextro lateri arcte ſatis adnexa quaſi eſſe videbatur. Membrana amnion autem duplex obſervabatur. Una ſcilicet ovum majoris infantis vivi conſtituebat, atque ſolitae debitae fuit magnitudinis. Altera vero foetus mortui peculiarem ſaccum referebat, longe minorem F. Probabile adeoque videtur, minorem hunc ovi ſaccum incrementa capere non potuiſſe, ob foetum illius praemature extinctum.

V. Placenta haec parva foetus mortui, arctiſſime loco A B placentae majori adnexa, diametro ſua tranſverſali a G ad H adaequabat ſolummodo magnitudinem pollicum Paris. $4\frac{1}{2}$; ſuperficies ipſius, quae uterum reſpiciebat, paucis sulcis atque tuberoſitatibus praeſentibus erat aſpera, color attamen pallidior, quam par eſt, et conſiſtentia ſeu compages ſatis firma, etiamſi per aliquod tempus in aqua macerata fuerit.

VI. Injectione facta in vaſa placentae majoris IK, quamquam eadem omnia fere cera repleta fuerunt, attamen nullum tranſitum ejuſdem maſſae in vaſa minoris placentulae obſervare contigit.

VII. Sedes foetus mortui fuit probabiliter in fundo uteri ſatis elevata, corpuſculum ejus autem ſecundum longitudinem fuit compreſſum ac complanatum, quod probabiliter ab aucto ſucceſſive incremento et volumine alterius gemelli vivi factum eſt.

VIII. Funiculus umbilicalis foetus minoris inſertionem habuit in placenta ſui lateris in loco L. adeoque haud ita procul a margine majoris placentae. Longitudo funiculi hujus adaequabat cir-

citer pollices 11, et ipfe funiculus, per totum fuum tractum fere, membranofo involucro penitus deftitutus effe videbatur, ita ut vafa ipfius plane nuda, filorum albicantium adinftar, confpici potuerint.

IX. Habitus feu difpofitio membrorum ac nexus eorum inter fe a naturali non multum abludebat. Caput enim inclinatum fuit antrorfum ac pectori quafi adpreffum, dorfum incurvatum, brachia, in cubito flexa, faciem manibus quafi fuftentare, pedes flaccidi fac quafi luxati effe videbantur, prouti hoc patet ex figura icone expreffa, quamquam fcalptor aerarius non omnem expectationem adimplevit, quod itaque, ut indulgeant lectores benevoli, officiofe rogo. Longitudo corporis integri foetus mortui, a capite ad calces M N eodem fitu defcripti, adaequabat circiter 5 pollices, et ipfe foetus hic fexus fuit potioris.

X. Quoad internam ftructuram vifcerum, poft obductionem obfervatam, fufficiat hic breviter monuiffe:

a) Hepar fat magnum quidem fuiffe, fed plane fere diffolutum ac quafi maceratum.

b) Proxime pone hepar ventriculus inveniebatur collapfus, vacuus, albicans.

c) Inteftina pallide viridefcentis coloris.

d) Splen fat notabilis magnitudinis.

e) Cor, pericardio inclufum, fat notabilis magnitudinis.

f) Pulmones arcte coftis appreffi. Capitis cavum denique accuratius perluftrare nolui, ne deftrueretur compages totius praeparati, inprimis cum caput integrum jam per fe effet praeternaturaliter complanatum ac compreffum.

Sectio III,

Consectaria sistens.

Quodfi jam omnia phaenomena rite penfitemus, quae inter hiftoricam commemorationem rarioris ejufmodi cafus judicio offeruntur, non facile erit ftatim determinare modum et tempus, quibus infolita haec conceptio duplex, foetus pufilli una cum majore infante, evenire potuerit.

Quamobrem non abs re fore arbitratus fum, fedulo prius inquirere in diverfas caufas, quae tanquam tales cum qualicunque probabilitate unquam affumi poffunt, et deinde omnibus his rite ventilatis rationum momentis, noftram fubjungere de fingulari ejufmodi partu opinionem. Videamus

itaque, num cum veritatis ſpecie aſſumi poſſit in hoc partu:

I. Superfoetatio vera?
II. vel ſuperfoecundatio?
III. vel ſuperfoetatio impropria?
IV. vel ſuperfoetatio ſpuria ſeu putatitia?

An ſuperfoetatio vera in hoc partu aſſumi debeat?

Nominatur *ſuperfoetatio vera* nova mulieris gravidae impraegnatio, ſi duo foetus, uterque ſanus, perfectus et vivus, ex ejuſdem matris utero (ſimplici, non duplici, neque bipartito), longiore temporis ſpatio interpoſito, in partu ſibi ſuccedunt. Quodſi enim ejuſmodi puerpera, poſt abſolutum legitimum partum et poſt ſolitum fluxum lochiorum, intercedente aliquot ſeptimanarum vel menſium intervallo, alium iterum maturum foetum in lucem edit, probabile eſt, infantes hos, diverſo et repetito partu excluſos, diverſo etiam tempore ſigillatim conceptos fuiſſe. Hoc itaque ſtabilito principio, ſequentia verae ſuperfoetionis agnoſci debent requiſita et criteria: a) ut nova mulieris, jamjam impraegnatae, facta ſit conceptio; b) ut notabile obſervetur inter partum utriuſque foetus intercedens temporis intervallum, i. e. aliquot ſaltem ſeptimanarum vel menſium; c) uterque foetus ut

ſit perfectus, ſanus, vivus; d) denique ut puerpera ſimplicem, non duplicem neque bipartitum habeat uterum.

Magnus profecto inter varios ſcriptores obſervatur diſſenſus, et in ſumma controverſia ab artis peritis ſemper habita fuit quaeſtio illa: *utrum ejuſmodi ſuperfoetatio vera* (accuratiore ſenſu ſumpta), *i. e. duplex, ſucceſſive ſe excipiens conceptio et partus, in utero ſimplici revera fieri poſſit?* Talem veram ſuperfoetationem non ſolum exiſtere poſſe, ſtatuerunt, verum etiam revera exiſtentem, exemplis probare annifi ſunt ARISTOTELES, (1) VALISNIERI, (2) BAUHINUS, (3) HARVAEUS (4), KERKRINGIUS (5), EISENMANN,

---

(1) Foetum unum partu editum fuiſſe menſe ſeptimo, alterum vero nono, affirmat *Ariſtoteles in hiſtoria animal.* Lib. VIII. c. IV. Ejuſmodi exempla etiam recenſet *Plinius* L. VII. c. 9. Non eſt vero, quod prolixus ſim in indicandis omnibus auctoribus, qui veram ſuperfoetationem obſervaſſe, contendunt. Sufficiat inſtar omnium nominaſſe illuſtr. *Halleri Elementa Phyſiologiae.* Tom. VIII. pag. 461 et ſqq., ubi prolixior eorum enumeratio invenitur.

(2) Partum diverſum abſolutum fuiſe, fertur, et quidem die 13 Junii, 24 Junii et 10 Julii. Vid. *Valisnieri* in *tractatu* de *generatione* et Haller. ibid. p. 464.

(3) *Bauhinus* narrat, quadraginta inter diverſos partus interlapſos fuiſſe dies. Ibid. pag. 464.

(4) Menſe Sentembri et Decembri vid. *Harvaeus.* Ibid. pag. 465.

(5) Menſe quarto unus in lucem editus fuit infans, alter vero octavo. Vid. *Kerkringii obſerv.* Ibid. pag. 465.

(6) Hallerus (7) et alii plures. (8) Ex adverſa vero parte fuerunt et dantur noſtro ipſo aevo, non minus celebres et docti viri, qui in contrariam ſententiam proni, omnem verae ſuperfoetationis (i. e. talis, qualem modo definivimus) poſſibilitatem abſolute negant et repudiant. Inter veteres, ipſe jam Hipocrates (9) enunciavit, os uteri poſt impraegnationem factam claudi, et ideo aegre admittere novam conceptionem. Eidem opinioni aſſentiunt Blasius (10), de la Motte (11), Smellie (12), Parsons (13),

(6) *Eiſenmanni tabulae Anatomicae uteri duplicis obſervationem ſiſtentes Argent.* 1752.

(7) Admittit poſſibilitatem ſuperfoetationis verae illuſtris *Hallerus* in *Elementis Physiologiae* Tom. VIII; attamen ibidem. pag. 467 dixit etiam. „*non ideo fraudem nonnunquam ſubſuiſſe, repugno.*"—

(8) Vid. *Plenk in Elementis Artis Obſtetriciae.* Viennae 1781. pag. 89. qui, Halleri ſuffultus exemplis, eamdem admittit.

Recentioribus temporibus exemplum ſuperfoetationis ejuſmodi in Domina Villard obſervatum fuiſſe, quae ſexto menſe, poſt primum infantem natum, alterum vivum edidit, enumeratur in clariſſimi *Hufeland* Neueſte Annalen der Franzöſiſchen Arzneykunde und Wundarzneykunſt 1 Band pag. 451. vid. itidem *Bernſtein* praktiſches Handbuch der Geburtshülfe. Leipzig 1797. pap. 818.

(9) Vid. *Aphoriſmi Hipocratis* V. 51.

(10) Vid. *Blaſius* in notis ad Veſling. ſynt. anat. c. i. pag. 102.

(11) *De la Motte* diſs. ſur la generation et ſuperf. c. 3.

(12) Vid *Smellie in* compendio ſuo obſtetric. ſectione VI. pag. 125, qui negat ſuperfoetationem veram, admittit autem ſpuriam.

(13) *Parſons* de motu muſculari p. 78 abſolute negat poſſibilitatem, ob tubas in graviditate nimis rectas, ovarium non apprehenſuras.

Littrie (14), et Gravel (15), quibus itidem adnumerandi ſunt omnes fere recentiores celeberrimi obſtetricatores, uti meritiſs. Stein (16), Starke (17), Osiander (18), Sacombe et alii plures (19), qui verioris nominis ſuperfoetationem in utero ſimplici abſolute negant, et poſſibilitatem ejus, ſi unquam, in utero duplici tantum admittunt, et ob ſequentes quidem rationes: 1. quoniam uterus poſt impraegnationem factam claudi ſolet, neque novo foetui inferendo facilis aditus patet. Ponamus vero etiam os uteri non conſtanter clauſum reperiri, quod utique ob

(14) Vid. argumenta ejuſdem prolixius expoſita in Lachauſſe diſſ. de ſuperfoetatione in utero ſimplici. Argent. 1755. pag. 14.

(15) *Gravel* diſs. ſiſtens de ſuperfoetatione conjecturas Argent. 1738.

(16) Vid. cl. *Stein* Theoretiſche Anleitung zur Geburthshülfe V. edit. 1797. pag. 52.

(17) Vid. *Starke* Archiv für Geburthshülfe Tom. II. faſcic. IV. p. 52. et ibid. p. 155.

(18) Vid. Meritiſs. Oſiander Lehrbuch der Hebammenkunſt. p. 218. Göttingen 1796. qui fraudem ſubeſſe, ſuſpicatur.

(19) Conferatur *Sacombe* in *Elemens de la ſcience des Accouchemens*, Paris an 1802. pag. 11. qui affirmat, ſuperfoetationis verae poſſibilitatem repudiari ratione, natura et experientia et ſingularem hiſtoriam feminae cujuſdam, nomine Chanoine, recenſet, quae temere a chirurgo Manſuin pro ſuperfoetata habita fuit. Vid. itidem nonnulla de ſuperfoetatione auctore T. G. A. *Rooſe*. Bremae 1801. et *Martens* Kritiſches Jahrbuch für die Geburthshülfe I Band Leipzig 1802. pag. 146-163.

variorum auctorum diffenfum non abfque difficultate magna demonftrari poteft, (20) attamen alia, eademque graviffima, negari non poteft interna uteri impraegnati mutatio, quae fuperfoetationis ideae minime favet. Evictum enim et recentiorum phyfiologorum conatibus, extra omne dubium pofitum eft, vim vitalem utero infitam ac propriam (21) a prima conceptione inde ad finem graviditatis ufque mirifice mutari, irritabilitatem ejus in fpecie per illud idem tempus (22) imminui, vim plafticam vero, et mutuam uteri in ovulum, et ovuli in uterum actionem, fingularem plane, ita augeri, ut poft femel inchoatam organifationem vitalem idem uterus, poft notabile intercedens temporis intervallum, alium iterum foetum recipere, et novum nexum cum eodem ftabilire, fecundum leges vitalitatis, vix ac ne vix quidem poffit. Egregie inprimis inter recentiores fcriptores hanc rem

(20) *Hallerus* loco citato pag. 466. enunciat „*os uteri nunquam claufum eft.*" Ipfe celeb. *Stein* loco citato pag. 161 etiamfi clausum orificium tanquam fignum diagnofticum graviditatis effe, affumit, attamen haud temere obfervat, in multiparis hoc non conftanter inveniri.

(21) Ejufmodi peculiaris iu utero vis vitalis negari nequit, dum experientia evictum eft, etiam in graviditate extrauterina membranam deciduam Hunteri, ab utero ipfo (infita ac nobis ignota vi) formari. Vid. Abhandlung der Londner Gefellfchaft zur Vermehrung des Medicinifchen Wißens, Seite 221

(22) Confer. *Roofe* loco citato et *Martens* Ibid pag. 154.

expofuit cl. ROOSE. 2. Quodfi vero etiam externum os uteri ita pateret, ut introitum fpermati virili admitteret, attamen vix ullus datur liber tranfitus pro ovulo, nova impraegnatione foecundato, per tubas, quatenus placenta foetus prius concepti fundo uteri arcte fefe applicans eique adhaerens, orificia tubarum ita obturat, ut nullum novum corpus vel ovulum per cavum earum tranfire pof-fit, prouti demonftravit cl. GRAVEL. 3. Non absque magna difficultate nova locum habere poteft con-ceptio, elapfo aliquot menfium poft primam im-praegnationem intervallo; ob tubas in progreffu graviditatis rectas et breves, ovarium non appre-henfuras. 4. Quodfi autem affumamus quoque, fac-tam revera fuiffe, poft elapfos aliquot menfes, no-vam repetitam fecundam conceptionem, nihilomi-nus tamen probabile videtur, hunc fecundum foe-tum vix poffe ad debitum novem menfium termi-num ufque, in ftatu integritatis, contineri in ute-ro. Nonne inter exclufionem primi infantis, tot involuntariis validiffimis inter partum nixibus, et fumma contractili vi uteri, folvi debuiffet nexus inter uterum et ovulum fecundi, ferius concepti foetus? Nulla faltem datur ratio fufficiens, quae os uteri, inter primum partum toto ambitu aper-tum, iterum in integrum reftituat et impediat,

quominus vefica, liquore amnii fecundi foetus repleta, per idem hians orificium defcendat, aquae urgentibus doloribus ex difruptis membranis effluant, et partum praematurum ejusdem fecundi infantis, citius quam par eft, accelerent. Difficile faltem effet, cum aliquali veritatis fpecie explicare, quanam ex caufa ceffare poffint dolores ad partum, poft exclufionem unius infantis, remanente adhuc ac intus haerente altero, dum experientia quotidiana evictum fit, vel minimum placentae relictum fruftulum, vel ipfum fanguinem congrumatum in utero novos dolores eosque validiffimos nec non nixus poffe excitare, imo ipfam febrim accendere, ut taceam de copiofo lochiorum poft exclufionem primi infantis fluxu, qui expulsionem alterius, abfque intercedente temporis longiore intervallo, ftatim pediffequam habere debuiffet.

Non mearum quidem partium effe arbitror, graviffimas has, inter eruditos viros maximo ardore agitatas, lites componere: *An vera fuperfoetatio*, ob has modo commemoratas rationes, *in corpore humano unquam locum habere poffit.* Arduum enim eft opus, determinandi, quaenam inter tot virorum clariffimorum obfervationes fint verae quaenam

falſae, et an omnibus ejuſmodi auctoribus aequalis ſit fides habenda. Recte jam dixit Seneca: *utrumque vitium eſt, et omnibus credere, et nulli.* Omnibus itaque his eruditis viris, cunctis ejusmodi relationibus, omnem fidem derogare erubeſco, et a me impetrare non poſſum. Nihilominus tamen ingenue fateor, gravia eſſe illa argumenta contra poſſibilitatem verae ſuperfoetationis, ſupra commemorata, quorum pondere me preſſum, ac invite quaſi in eamdem opinionem abreptum eſſe, mihi videor.

Quae cum ita ſint, ſuperfoetationem veram in partu, cujus hiſtoriam enumeravimus, vix ac ne vix quidem admittere poſſumus:

I. Quoniam, ob argumenta prolixius commemorata, ignotum ſaltem et dubium ſit hucuſque, num talis unquam in corpore humano locum habere poſſit? Realitas enim phyſica ſuperfoetationis verae non tantum, ſed etiam poſſibilitas ejuſdem ab omnibus fere recentiſſimis artis peritis noſtro, quo vivimus aevo, neque temere negatur et repudiatur.

II. Ponamus vero etiam talem ſuperfoetationem ab aliis medicis, alioque qualicunque partu edito, vel revera jam obſervatam fuiſſe, vel futuro aevo pro certo demonſtrari poſſe; attamen noſter

ſingularis partus *pro ſuperfoetato haberi* nequit, quoniam ſtructura placentae ejusque cum duplici foetu nexus ſuperfoetationis ideam repudiat. *Una eademque enim membrana chorion utroſque foetus ambiebat, quamquam quilibet eorum peculiarem habuerit amnion.* Conceptio adeoque diverſa, vario tempore ſucceſſive ſe excipiens, locum habere in hoc partu non potuit.

An per ſuperfoecundationem explicari poſſit?

Sat notabilis intercedit differentia inter *ſuperfoetationem veram*, et inter ita dictam *ſuperfoecundationem.* Negant omnes fere recentiores meritiſſimi obſtetricatores illam, quamquam unanimi ſuffragio hanc (ſuperfoecundationem) tanquam poſſibilem admittant. Intelligimus vero ſub notione ſuperfoecundationis, ſi mulier gravida, primis poſt impraegnationem factam diebus, iterum concipit, quamdiu ſcilicet ovulum prius foecundatum, nondum ex ovario in uterum tranſiit. Annuit huic opinioni inprimis cl. Stein, qui graviditatem gemellorum, in praxi obſtetricia quotidiana frequenter obviam, saepiſſime tali ratione originem ducere, ſuſpicatur (23). Idem probare annititur cl.

(23) Vid. Stein loco citato pag. 52, qui enuncial: „die Ueberſchwängerung iſt nur in einer zweyfachen Gebährmutter möglich; hingegen iſt die Ueberfruchtung in einer einfachen Gebährmutter in den erſten Tagen nicht unmöglich. Wer weis, wie ſich die Zwillingsſchwangerſchaft manchmahl zutragen mag?“

Osiander exemplo ſingulari in medium prolato, quo conſtat, Aethiopiſſam quamdam in India occidentali, gemellos, brevi intercedente inter utrumque partum tempore, ſucceſſive in lucem edidiſſe, quorum infantum unus nigri coloris, ex proprio matris eſſatu, Aethiopem habuit patrem, alter autem albidioris coloris, Europaeum. (24)

At enim vero vel primo intuitu patet, neque ſuperfoecundationem, pro explicando ſingularis hujus partus proventu, cum qualicunque veritatis ſpecie, admitti poſſe, quoniam (ut reliqua argumenta circa ſuperfoetationem allata taceam) ſuperfoecundatio primis poſt impraegnationem diebus ſupervenire ſolet, dum e contrario in noſtro hoc partu tanta differentia obſervaretur inter volumen magnum infantis maturi vivi primogeniti et inter figuram puſillam foetus minoris, cujus longitudo a capite ad calces vix 5 pollices Pariſinos referebat.

An per ſuperfoetationem ita dictam impropriam ?

Superfoetatio ita dicta *impropria* in duplici caſu locum habere poteſt:

---

(24) Vid. ill. *Oſianders* Grundriß der Entbindungskunſt 1 Theil. Göttingen 1802 pag. 156. Idem exemplum citatur a *Bernſtein* loco citato. pag. 818, nec non Buffonio teſte, in *Petits* Abhandlung über die Geburtshülfe, überſetzt von *Starke*. Erfurt, 1801. pag. 146.

I. Si praeter unicum foetum, in utero contentum, alter *extrauterinus*, e. gr. in tubis Fallopianis, invenitur, cujus rei tot apud varios auctores revera dantur exempla (25).

II. Si in una eademque foemina gravida datur *uterus duplex* vel *bipartitus*. Talem enim re ipſa, rariori licet caſu, inventum fuiſſe, obſervationibus Eisenmanni (26), Gravelii (27) aliorumque, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Non datur utique ratio ſufficiens, cur in diverſo organo, varia conceptio locum habere non potuiſſet. Ob eamdem igitur rationem meritiſſimi etiam recentiores obſtetricatores unanimi conſenſu ſuperfoetationem talem in utero duplici poſſibilem

(25) Hanc conceptionem extrauterinam poſſibilem eſſe, experientia docet. Sic inter tergeminos unus in tuba exanimis fuit repertus, dum duo gemelli vivi in lucem prodierunt. Vid. *Hiſtoire de l'Acad.* anni 1722. obs. 3. *Harvaeus* itidem, poſt aliquot menſes a vera graviditate inde, oſſa prioris foetus exire vidit. confer. Haller. l. cit. p. 466. Confer. itidem cl. *Oſiander* in Grundriß der Entbindungskunſt Tom. I. Göttingen 1802. pag. 156.

(26) Uteri ejuſmodi *duplicis cum duplici vagina* deſcriptionem invenimus cum ſplendidiſſimis tabulis aeri inciſis et ad naturam delineatis in *Eiſenmanni* Tabulis ſupra citatis.

(27) Obſervationibus anatomicis et cadaverum diſſectione, evictum eſt, uterum interdum inveniri etiam *bipartitum* cum *ſimplici vagina*, cujus rei exemplum icone expreſſum reperitur in *Gravel* diſs. de *ſuperfoetatione.* Argentor. 1738.

admittunt, inter quos nomina clariffimorum virorum, uti Plenkii (28), Starkii (29) et Steinii (30) allegaffe fufficiat.

Sed haec modo commemorata phaenomena minime in partu noftro obfervari potuerant. Uterus parturientis noftrae non fuit duplex neque bipartitus, fed fimplex, neque conceptio fuit extrauterina. E contrario uterque foetus in uno eodemque utero contentus fuit, et foetus pufillus placentae infantis primogeniti firmiter fuit accretus, et continuam fere et contiguam maffam obtulit, intermedio fcilicet duplici ftrato fecundinarum.

An denique fingularis partus commemorati proventus, per fuperfoetationem fpuriam vel putatitiam explicari poffit?

Accidit enim interdum in gemellis eodem tempore conceptis, ut foetuum unus debita ratione fufficienter nutriatur, perfectafque vitales hauriat auras, dum interim alter alimento orbus, vel morbo vel violentia quadam externa matri illata affectus,

---

(28) Vid. *Plenk* loco citato. pag. 90.

(29) Vid. *Starke* archiv. loco citato. T. II. pag. 155. nec non in *notis* *Starkii* ad Petit. Abhandlung über die Geburtshülfe. Erfurt. 1800. pag. 146.

(30) Vid. Stein. loco citato, pag. 52.

in utero moriatur ante graviditatis terminum debitum abfolutum, et ea forma, quam eo, quo extinctus eft tempore, habuit, in lucem prodit. Ejufmodi partus fuperfoetationis *fpeciem* tantum prae fe fert, neque tamen tali nomine, veriori fenfu falutandus eft, fed refert potius fuperfoetationem *fpuriam* feu *putatitiam*. Nominantur ejufmodi foetus a nonnullis auctoribus etiam *inaequales*, qui eodem partu eduntur, et quorum alter maturus ac vitalis novem menfium effe poteft, dum alter, jam pridem mortuus, ratione parvitatis fuae paucorum menfium aetatem referre videtur.

Ex hoc capite et hoc unico quidem modo partus noftri fingularis proventus fumma cum probabilitate et facile quidem explicari poteft. A veritate haud ita procul enim me abeffe videor, fi affumam:

I. Hos foetus gemellos fuiffe, non vero diverfo tempore conceptos: nam ftructura utriufque placentae, ejufque mutuus nexus revera talis fuit, qualis tantum in graviditate gemellorum reperitur, quod inprimis inde patet, *quia una eademque membrana chorion utrofque foetus ambiebat, quamquam quilibet eorum peculiarem habuit amnion.*

II. Foetus ipfe mortuus, ratione exigui corporis volumimis, quod occupavit, aequiparari quodammodo poteft quadrimeftri. Probabile itaque videtur, eumdem quarto forfan circiter graviditatis menfe, ex quacunque ignota nobis caufa, extinctum fuiffe, adeoque incrementa capere illo tempore non potuiffe, quo in altero gemello fratre per quinque adhuc menfes, fucceffive evolvebatur corpus et augebatur volumen.

III. Ejectus vero fuit idem foetus mortuus eodem partu, ex eodem fimplici utero cum vivo maturo, ea quidem forma, quam habuit illo tempore, quo extinctus erat. Quaenam autem fuerit caufa, qua idem foetus a putredine notabili quadam intactus manferit, et abfque ullo incommodo, a matre mortuus geftari potuerit, non adprime ftatim fentio. Probabiliter id factum eft ob aëris denegatum acceffum: Nonne etenim pluribus exemplis evictum eft, foetus mortuos in utero per plures annos abfque evidenti noxa matris geftatos fuiffe? De reliquo non defunt etiam apud alios auctores, licet rariores, obfervationes et exempla ejufmodi foetuum inaequalium, in lucem editorum.

Quae cum ita fint, patet ex omnibus modo allegatis, partum hunc fingularem fuperfoetationis

verae *ſpeciem* quidem prae ſe tuliſſe, etiamſi veriori ſenſu vocis nequaquam pro ſuperfoetato haberi, ſed ad ſuperfoetationem *ſpuriam vel putatitiam* potius referri debeat. (*)

(*) Auctor, cum Profeſſori Medicinae *Ioanni Wenſſovitſch*, auditori quondam ſuo, peculiari epiſtola, de ſummis in Medicina honoribus gratularetur, quae ejus diſſertationi inaugurali (de uſu et ſtructura ſecundinarum, Moſquae 1803) adnexa eſt, primo memorabilem, de qua hic agitur, obſervationem, ſuperfoetationem veram mentientem, publici juris fecit. Cum autem opuſcula talia Academica neque a multis legantur, neque ab exteris facile acquiri poſſint, auctor hanc commentationem, noviter elaboratam, in ſcriptorum ſuorum numerum recipere non dubitavit.

Caput V.

HISTORIA RETROVERSIONIS UTERI GRAVIDI, CUM PROLAPSU VAGINAE, ANNEXA DESCRIPTIONE INSTRUMENTI NOVI, PRO REPOSITIONE UTERI RETROFLEXI, id eſt *Hyſteromochlii*, *ſeu vectis uterini.*

Cum icone Tabulae II.

Die xxx Martii anni 1796 in auxilium vocatus fui miſerae aegrotae quadragenariae, in domo Principis a D.... l...ky degentis, quae medium graviditatis terminum vix tranſegit. Adfuit obſtetrix minime perita, quae mihi commemoravit, eamdem gravidam per 4 circiter jam hebdomades dyſuria laborare, vehementibus doloribus ſtipata, illamque motum infantis vix ac ne vix quidem et minus conſueto more percipere, nec non inſimul adeſſe tumorem ſingularem externum, quem neque accurate deſcribere, neque definire potuit. Itaque ſedulo inquirendum erat in ſtatum morbi et in phaenomena praeſentia, ut clarius eluceſceret illius natura et methodus medendi. Exploratione obſtetricia interna a me inſtituta, obſervabam, tumorem externum nihil aliud eſſe, quam prolapſum vaginae lateris ſiniſtri, ſed haud parum mirabar,

cum cavum pelvis medium minime ſpatioſum vel vacuum, uti quidem eſſe debuiſſet, ſed fere ex omni parte repletum invenirem, nec abſque ſumma diffi-cultate digito indice attingere poſſem orificium uteri, quod in ſummitate oſſium pubis juxta parietem anteriorem vaginae inveniebatur, diſtortum quaſi, et ab axi pelvis et uteri quam maxime aberrans. His omnibus rite a me penſitatis, a veritate me haud ita procul abeſſe arbitrabar, ſi ſtatum hunc praeternaturalem pro *retroverſione* vel *retroflexione uteri* declararem, prolapſum autem vaginae pro ſymptomate haberem, ſeu effectu dislocationis uteri. Neque me apparens hujus mali diagnoſis fefellit, quod quidem poſtea clarius elucescet. Jnquirenti mihi in cauſam morbi commemoravit aegrota, ſe inter deſcenſum ex scala lapsum ex alto perpeſſam eſſe, ita, ut cum violentia quadam inſederit oſſi ſacro. Acceſſit et haud parum adminiculi malo huic praebuit, quod poſtmodum aegrota, corpore quammaxime antrorſum inclinato, ſolum hypocauſti, aſſeribus conſtructum, lavare obſtricta eſſet. Ab illo temporis momento in l quo in dorſum projecta fuit, violentam quamdam dislocationem in infimo ventre ſtatim perſenſit, et illico inſecuta eſt dyſuria, quae indies per 4 hebdomades circiter majora

incrementa coepit, ita ut nunc lotium, adhibita externa digitorum intromiffione et corporis praevia qualicunque elevatione, tantum guttatim excernere poffet. Vefica urinaria, ob retentionem hanc, fummopere tumida reperiebatur, ita ut ambitus illius ultra umbilicum ascendens, durilfimum quafi tumorem manui exploranti offerret. Doloribus praeterea vexabatur aegra infignibus in infimo ventre, magnam habuit anxietatem, appetitum inde a longo tempore proftratum, pulfum febrilem, animum defperabundum. Serio commiferatus fui fortem miferae aegrotae, quae in ancipiti hoc malo anxie auxilium meum efflagitavit. Methodi therapeuticae Celeberrimorum Virorum, qui circa aetiologiam et curationem hujus morbi optime meruerunt, uti Guilielmi HUNTERI (1), LYNNE (2), COCKEL (3), HOOPER (4), BAUMGARTEN (5), VAN DOEVEREN (6),

---

(1) Omnibus notum eft, quam diu vera retroverfionis uteri notio et aetiologia in puteo quafi Democriti abfcondita delituerit, ufque dum *Guil. Hunter* primus illam defcripferit in *Medical obfervations and inquiries* vol. IV. et V. et iconibus illuftraverit in *Tabulis de utero gravido.*

(2) in Medical comment. vol. VI.

(3) Cockel: effay on the rotroverfion of the uterus. London. 1785.

(4) Hooper in medical obferv. vol. VI. p. 85.

(5) Baumgarten differtatio de utero retroverfo. Argentor. 1785.

(6) Van Doeveren fpecimen obfervationum academic. Lugd. Bat. 1785.

Richter (7), Waitz (8), Gartshore (9), Willich (10), Schaeffer (11), Saxtorff (12), Iahn (13), aliorumque (14) haud immemor, uteri fundum juxta concavam fuperficiem offis sacri delapfum, et cavum pelvis explentem, digitis in vaginam et rectum immissis secundum leges artis elevare et ultra promontorium offis facri reducere, follicite annifus fui. At enim vero ingenue fateor, quamquam fitum debitum, fcilicet cubitis et genubus innifa, gravida fervaret, quamquam repetitis vicibus encheirefes omnes ab illis famigeratiffimis viris commendatae fedulo a me adhibitae effent, et catheterifmo etiam fruftra ufus effem, nihilominus tamen repofitio uteri retroverfi fperatum non habuit eventum, neque contigit fundum ejus ultra promontorium fufficienter elevare. Idem quondam

(7) Vid. Chirurgifche Bibliothek vol. XI p. 310. ibid. Tom. XII. p. 45 et fqq.

(8) Vid. Richters chirurgifche Bibliothek vol. V. p. 548.

(9) Gartshore in medical comment. vol. V.

(10) Willich in Richters chirurg. Bibl. vol. V. p. 152.

(11) in Baldingers neuem Magazin. anni 1784 die 4 Obtobris.

(12) Saxtorff in collectaneis Hafnienfibus. 1775. vol. 11. et in Saxtorffs gefamleten Schriften von Scheel. Koppenhagen. 1803. pag. 258. et fqq.

(13) Iahn differtatio de utero retroverfo. Ienae. 1787.

(14) Schneider in Beytraegen zur chirurg. Bibliothek vol. XI. p. 310. Deffault in journal de medicine vid. ibid. vol. XII p. 255. Dethardíng. diff. de utero retroverfo. Starke Archiv für Geburtshülfe vol. I. p. 48. vol. IV. p. 122. et pag. 270.

accidiſſe conſtat Celeberrimo SAXTORFF (15) , qui eamdem uteri retroflexi repoſitionem fruſtra pluries tentavit: unde me non primum fuiſſe patet, cui methodus medendi huc uſque cognita, fauſtum denegavit eventum. Hoc mihi quidem magno ſolatio eſt: at enim vero vehementer animo fui commotus ob inſtans vitae periculum, ideoque miſeram meam aegrotam in hoc ancipiti caſu derelinquere, vel tanquam otioſus ſpectator morti certiſſime inſecuturae, tradere nolui, neque a me impetrare potui. Cum autem methodus medendi, ab omnibus artis peritis ad hunc diem uſque cognita; in hoc funeſto caſu non ſufficiens videretur, et pia humanitatis vox promptiſſimum juvamen, vitae tuendae gratia, expoſceret, aliam et novam quidem ingredi viam, alia et nova adminicula quaerere, haud inconſultum duxi. Quoniam digiti immiſſi, fundum uteri non ultra promontorium oſſis ſacri elevare potuerant, non alienum a ſcopo fore arbitratus ſum, ſi inſtrumentum quoddam adhiberem obtuſum et molliuſculum, quod altius, quam digiti inferri poſſet. Curavi itaque, ut conficeretur ejusmodi, quod praeter manubrium haberet ſtylum ferreum, ſecundum axin pelvis in-

(15) Vid. Saxtorffs geſammelte Schriften, herauſgegeben von Scheel. Koppenhagen. Pag. 259.

curvatum, flexura ſua vecti non abſimilem. Apici ſtyli, mediante epitoneo et cochlea, annectebatur conus truncatus ex ſubere molli, cujus ſuperficies ſupera concava reddebatur pro excipiendo et figendo utero, et contegebatur corio molliuſculo, quod infra vinculo fuit firmatum, prouti haec ex ſimplici inſtrumenti aſpectu, nec non ex icone annexa TABULAE II clarius patent. Adii iterum miſeram aegrotam meam, quam in eodem ſtatu deſperato inveni, et novum hoc inſtrumentum, utpote ſaltem innoxium, (quamquam de fauſto ipſius effectu nondum certus fui,) adhibere conſtitui. Curavi primo, ut ſitus debitus aegrae conciliaretur, i. e. ut eadem genubus et cubitis innixa, uterum libere quaſi ſuſpenſum mihi offerret, et caute et timide immiſi hoc inſtrumentum, manuducente digito indice manus ſiniſtrae ad ductum parietis poſterioris vaginae ita, ut convexa pars ſtyli reſpiceret concavam ſuperficiem oſſis ſacri, et concava pars coni truncati tangeret et quaſi exciperet excavatione ſua fundum convexum uteri gravidi reflexi. Eo ipſo itaque tempore, quo digitus index immiſſus manus meae ſiniſtrae, hypomochlii ad inſtar, appreſſus fuit ſtylo inſtrumenti (vectiformis), manu dextra prehendi manubrium et caute cum eodem elevavi uterum ita quidem, ut directio exhiberetur

ejusmodi inſtrumento, ac ſi umbilicum apice ſuberis attingere vellem. Haec exoptatiſſimum habuerunt eventum. Fundus uteri reflexi ultra promontorium ita evectus et elevatus, ſemel ac ſimul, et ſubito quidem cum ſtrepitu quodam, in pelvis aperturam ſuperiorem reſiliit, cavum pelvis medium, quod ex toto fere repletum antea fuit, nunc vacuum reddebatur, orificium uteri, non ita pridem in ſumitate oſſium pubis criſtae vix perceptibile et diſtortum quaſi, ſtatim naturalem acquiſivit ſitum (prouti haec ex linea punctim adumbrata f. g. h. conſpici poſſunt) et maximo aegrotae levamine et ſummo meo gaudio, *illico* eo ipſo temporis momento, dyſuria ſublata fuit et prolapſus vaginae ſymptomatici vel minima veſtigia diſparuerunt. Dolores vehementiſſimi, quibus diu admodum excruciebatur aegra, ſtatim ceſſarunt, urina in progreſſu graviditatis, abſque ulla difficultate, ad debitum graviditatis terminum usque, excernebatur; nulla remedia interna neceſſaria fuerunt; partum tandem, poſt abſolutum novem menſium terminum, enixa eſt naturalem et facilem, et ipſa aegrota una cum infante vivo atque ſaniſſimo adiit domum meam, ut gratias ageret de auxilio, ipſi in graviditate allato.

Propono igitur novum inſtrumentum pro repoſitione uteri gravidi retroverſi, cui haud incongrue nomen *hyſteromochlii* ſeu *vectis uterini* tribui poteſt, illudque aliorum peritiſſimorum eruditorum judicio, debita, qua par eſt, obſervantia, lubenter hiſce ſubmitto. Patet vel primo intuitu, applicationem et utilitatem illius, quatenus ob mollitiem ſuam partes internas organicas minime offendit, in aliis etiam morbis uteri localibus eſſe tutam et minime ſuſpectam, uti in obliquitate uteri ſeu hyſteroloxia, in prolapſu uteri completo et incompleto, nec non in inverſione ipſius. Non diffiteor, hoc inſtrumentum, pro vario ejusmodi uſu, poſſe et forſan deberi, diverſa ratione *mutari*, ut *perfectius* reddatur, ſi loco coni noſtri ex ſubere, ope cochleae, varia fruſtula majora vel minora ex ferro, corio obducto, diverſae magnitudinis, admoverentur. At enim vero nolui inventum novum, *omnibus numeris* publici juris *abſolutum*, facere. Sufficiat, me hic factum hiſtoricum abſque fuco et fallaciis commemoraſſe: Ipſius inſtrumenti ulteriorem *correctionem* aliis, pro re nata, lubenter committo. Non eſt inventum in muſaeo excogitatum, vanae gloriolae captandae gratia, ſed potius ipſa experientia et praxi, tanquam utile comprobatum: non eſt effectus pruritus cujusdam novaturiendi, ſed neceſſitatis


ipfius et pii defiderii, miferam aegrotam, alias certiffime perituram, ex orci faucibus eripiendi. Ab omni oftentatione quam maxime alienus, id unicum in votis habeo, vehementerque opto, ut novum hoc inftrumentum, in illa faltem retroverfionis fpecie, quae operationi manuali non obedit, ab aliis etiam eodem, quo mihi uti contigit, faufto fucceffu, generis humani bono, in pofterum adhibeatur.

Explicatio Tabulae II

Figurae I.

Quae pelvim foemineam fiftit, tranfverfaliter ad naturalem directionem diffectam, cum utero retroflexo, quarto graviditatis menfe exacto.

Unica tantum hucufque proftat, icone illuftrata, adumbratio *uteri retroverfi*, illa fcilicet, quam exhibuit celeberrimus *Guil. Hunter* Tabula XXVI in fplendidiffimo fuo opere: *de utero gravido.* At enim vero in eadem Tabula uterus retroflexus extra nexum cum offibus pelvis repraefentatur, quo ipfo diflocationis hujus fingularis idea offufcatur. Sifto itaque, figura prima, exactam pelvis tranfverfaliter diffectae adumbrationem, a peritiffimo artifice KOECK exacte ad normam Tabulae nonae Hunteri et ad



Christ. Koeck del.

Alex. Florow sculp.

HYSTEROMOCHLIUM *five* **VECTIS UTERINUS,**

pro repositione uteri gravidi retroverfi.

naturam pelvis ipſius diſſectae, delineatam. Directio et ſitus uteri, ultra quartum graviditatis menſem impraegnati, exacte quoad figuram uteri reſpondet illi, quae Tabula xxvi *Hunteri* delineata invenitur. Non diffiteor utique, partes molles omnes, uterum et pelvim ambientes, hoc loco nequaquam a me potuiſſe adumbrari; at enim vero primas tantum lineas ducere annifus fui retroflexionis uteri, quoad nexum cum oſſibus pelvis, quoniam cadaver, eodem morbo confectae mulieris, mihi deeſſet, ex qua utique accuratior forſan adumbratio confici potuiſſet.

Pelvis offertur aſpectus lateralis, poſtquam ſpina per medium diviſa eſt.

a a a a. Lumborum vertebrae quatuor inferiores, Apparet intermedia ſubſtantia ligamentoſa.

b b b b. Proceſſus ſpinoſi vertebrarum.

c. Promontorium oſſis ſacri.

d d d. Vertebrae oſſis ſacri.

e e. Vertebrae oſſis coccygis.

f. Synchondroſis oſſium pubis.

g g g g. Linea punctatim adumbrat uteri ſitum, quem quarto menſe circiter habere debuiſſet.

h h. Denotat os uteri ipſius.

i i i i. *Uterus retroflexus.* Os uteri invenitur littera K.

Explicatio Figurae II.

Quae exactam *Hyſteromochlii* ſeu *Vectis uterini*, ad naturalem magnitudinem, adumbrationem ſiſtit.

a. b. Conus truncatus, intus ex ſubere confectus, extus corio molli tectus, et in B. vinculo adſtrictus eſt.

c. Stylus ferreus, ad axin pelvis incurvatus.

d. e. Manubrium.

Explicatio Figurae III.

Quae nexum ſtyli cum cono truncato ſiſtit.

a. b. Epitoneum ſtyli, quod in cochleam coni intrat.

c. Stylus.

d. e. Manubrium.

Explicatio Figurae IV.

Quae conum truncatum ex ſubere repraeſentat, ſeorſim, corio non tectum, ut interna ſtructura ipſius clarius pateat.

a. Superficies concava coni ex ſubere facti.

b. c. Siſtit cochleam metallicam, quae intrat in medium cavum coni, ut figatur idem, et in cujus interna ſuperficie aſcendit epitoneum in d. e. Quodſi hoc inſtrumentum *mutare* et pro vario uſu perfectius reddere atque *corrigere* in poſterum vellem, mediante eadem

cochlea et epitoneo, varia fruſtula diverſae magnitudinis ac formae, admoveri debuiſſent.

Celeberrimus *Guilielmus Hunter*, qui inprimis retroverſionem uteri gravidi exacte deſcripſit anno 1771, et iconibus illuſtravit, quoad hoc meritum utique ſua laude minime defraudari debet. At enim vero, ante illum, morbus non plane fuit ignotus, ſed ſub alio nomine, hoc eſt *delapſus uteri*, jam anno 1732 deſcriptus. Nuperrime enim, dum varias diſſertationes obſtetricii argumenti perluſtrarem, non ſine voluptate quadam inveni, diſputationem eodem anno (1732) Gedani impreſſam, et ſub moderamine *Ioannis Adami Kulmi*, reſpondente *Reinick*, habitam eſſe ſub titulo: *diſputatio medica de uteri delapſu, ſuppreſſionis urinae et ſubſequutae mortis cauſa. Gedani MDCCXXXII.* Cum cadaveris diſsectio ab anatomico meritiſſimo et acuratiſſimo, qualis fuit celeberrimus *Kulmus*, facta ſit, quo ipſo diagnoſis morbi accuratius elucefcit, et cum diſſertationes ejusmodi facile acquiri non poſſint, non abs re fore arbitratus ſum, caſum hunc ſingularem, forma retracta, lectoribus communicare.

Foemina quaedam XXVI annorum, militis gregarii uxor, per 4 menſes gravida, anno 1731 die

28 Augufti onus tergo impofitum gerens, pede ex improvifo vacillante, alterius cruris difficili renifu vix greffum a lapfu fuftinuit: domum deinde reverfa, ftatim conquerebatur de dolore infigni circa lumbos et in regione pubis, et cum poftea urinam excernere tentaret, nihil prorfus effluere obferva-batur. Maritus aeque ac uxor hac de re infolita attoniti, medici alicujus auxilium implorarunt, aft fruftraneo penitus fucceffu: quippe per XII dies vix gutta lotii fuit excreta, venter nimium in modum extenfus eft, et mifera die 8 Septembris fub intenfiffimis cruciatibus fatis cedere coacta fuit.

Quo facto fectionem anatomicam inftituit clariffimus *Kulmus*. Tumor abdominis adeo alte excreverat, ut ftatum graviditatis maturum fere mentiretur. Caufa hujus phaenomeni fuit vefica urinaria expanfa, quae utramque regionem hypogaftricam atque umbilicalem explevit. Eo ipfo cuncta inteftina tenuia penitus extra fitum naturalem altius fub diaphragma adacta fuerunt. Cavitas veficae lotii continebat viginti libras; longitudo veficae ad duos pedes fe extendebat et latitudo unum fuperabat pedem. Protraxerat fimul infolitus veficae afcenfus peritonaeum usque ad regionem umbilicalem; fic ab hoc loco ufque ad os pubis vefica ubique muf-

culis abdominalibus cohaerebat, ſola membrana cellulosa intermedia. Veſicae ſubſtantia inſigni diſtenſione dilatata, ſolito tamen non tenuior, ſed plus duplici dimenſione craſſior inveniebatur. Ureteres et pelves renum mirum in modum dilatatae. Turgida veſica uterum occultabat, hinc debuit prius evacuari, qua poſtea collapſa, is tandem in conſpectum veniebat, attamen eum juſto, profundius locatum, totum aſpicere non licuit: *haerebat enim tertia fere uteri pars in ejus vagina arcte infixa* ita, ut ſuperius vagina corrugata vel potius inverſa exiſteret: Pars iſta uteri inferior, procul dubio ab ingreſſu vacillante juſto *profundius infra pelvim delapſa,* (quod noſtro tempore dixiſſem *retroverſa* vel *retroflexa*) *atque intruſa,* firmiter apprimebat collum veſicae, hujusque orificium et annexam urethram ad os pubis, et inde fatalis morbi exitus. Uterus ex ergaſtulo ſuo liberatus, inter diſſectionem cadaveris et retractus, examinatus fuit et foetus gemelli nobiliores ſexus perfecte in conſpectum prodibant. Nominat cl. *Kulmus* hanc uteri aberrationem *delapſum,* quando uterus e ſede ſua paulo profundius in vaginam deſcendit, ibidem tamen ſuſpenſus adhuc retinetur, ut extrorſum nondum propendeat; illumque a *prolapſu* diſtinguendum eſſe, urget. Recte quidem jam obſervavit ille, manualem operationem

neceffariam fuiffe, quamquam modum, quo debuiffet illam praeftare, utique ignoraret.

Neque a veritate me procul abeffe mihi videor, fi cafum illum, quem cl. *van Doeveren* in *fpecimine obfervationum academicarum* (Gröningae et Lugd. Bat. 1765, pag. 84,) recenfet, pro retroverfione uteri declarem. Exitus fatalis in foemina gravida xx annorum factus eft, *ob veficae* illo loco, quo fundo uteri contigua eft *rupturam*, prouti cadaveris diffectio, haec evidenter demonftravit. Meritiffimus vir ipfe curam agrotae geffit et cum nulla arte urinae retentio potuit amoveri, aegrota fubito et quafi uno momento omnibus fuis cruciatibus fuit liberata, dolores minores, febris minus valida, et abdomen molle factum. Recte quidem ex his fignis, adeo pulchram fpeciem prae fe ferentibus, latentem in herba anguem fufpicatus eft clariffimus van Doeveren. Infaufti iftius fucceffus prognofin confirmabat mors fubitanea, vigefimo quarto morbi die, ob veficae rupturam contingens.

Ex his modo commemoratis facile patet, retroverfionem uteri, jam ante *Hunterum*, et accurate quidem, obfervatam fuiffe, eamque ab omni tempore inde, funeftum habuiffe exitum, fi repofitio, debita operatione, non peragitur.

Caput VI.

HISTORIA PARTUS CUM PROLAPSU COMPLETO UTERI GRAVIDI.

Foemina quaedam in domo Excellentiſſimi Senatoris a M.. ſſ.j.d..ſſ, per longum jam tempus, procidentia uteri completa ac habituali vexabatur admodum moleſta, ut uterus inter crura externe viſibilis, vix ac ne vix quidem peſſario vel ſubligaculo retineretur. Admiſit utique morbus repoſitionem qualemcunque mechanicam, ſitu ſupino corpori conciliato, ſed ad minimum nixum editum vel inter ſitum erectum procidebat iterum uterus. Hoc attamen non obſtante vitio, aegrota noſtra gravida facta eſt, et auxilium meum in graviditate adhuc imploravit. Singulare fuit phaenomenon, uterum videre gravidum, in primo graviditatis medio et ultra, externe viſibilem una cum orificio uteri, et ſucceſſive auctum ejus obſervare volumen, ex foetu in cavo quidem uteri, ſed extra corpus matris haerente et creſcente. Hunc ſi excipias affectum localem, de reliquo ſatis illibata ac integra fruebatur valetudine, et ob ingreſſum impeditum et moleſtam peſſarii applicationem, conſentiit tantummodo, ut ſubliga-

culo ſimplici applicato, qualicunque ratione retineretur uterus. Suaſi attamen ut ſitum ſervaret ſupinum, quo minus prolapſus uteri proprio ſuo pondere augeretur. Abſoluto vero medio graviditatis termino, quo tempore infantis volumen extra aperturam pelvis ſuperiorem increvit et uterum ſecum ſurſum traxit, obſervavi procidentiam indies imminui uterumque ſenſim ſenſimque aſcendere ita, ut progreſſu graviditatis circa VII circiter menſem plane reconderetur, et evanidus ſponte etiam retineretur ad debitum graviditatis finem uſque. Primis ſubortis partus doloribus iterum vocatus fui; nulla externa procidentiae veſtigia apparuerunt, ſed interna exploratione inſtituta, obliquitatem uteri obſervavi, quoniam ſegmentum uteri inferius ſiniſtri lateris a capite praevio fuit expanſum, orificium ad idem latus verſum, in dextro vero latere ſpatium vacuum, nec non inſimul adeſſe in ipſo partus initio, dyſuriam. Urgentibus jamjam doloribus ad partum veris caput praevium oblique intravit in pelvim, et violenter parietem ſiniſtram et anteriorem ſegmenti inferioris protruſit. In hoc itaque caſu, juvamen praeſtandum, ad tria commode reduci potuit momenta: I ut ſitus exhiberetur lateralis parturienti, pro corrigenda obliquitate uteri. II ut ob dyſuriam catheteriſmus inſtitueretur; et III

ut prominentem et protrufam partem fegmenti uteri, inter doloris cujufvis ingreffum, digitis retinerem fufficienter, quo minus eadem ante infantis tranfitum per pelvim, externe egrederetur. Haec artis adminicula fauftiffimum in hoc cafu habuerunt fucceffum, obliquitas uteri iifdem correcta et ipfe partus die XVIII Julii anni 1797 infantis fani ac vegeti, me praefente et adjuvante, abfolutus eft. Puerpera itidem bene valuit, fed abfoluto puerperii ftadio, dum e lecto furgeret et incederet, iterum rediit procidentia uteri completa. Adhibita utique fuerunt omnia remedia, quae in hoc malo a celeberrimis obftetricatoribus commendari folent, uti injectiones fubadftringentes, fpongiae fomento ejufmodi madidae et fimilia. At enim vero, ingenue fateor, fruftra; quoniam prolapfus hic, per longum jam tempus habitualis factus, totalem repofitionem et retentionem non admifit. Quo facto itaque, cum cura radicalis adhiberi cum fructu non poffet, ad palliativam confugiendum fuit, et applicatum per me eft peffarium, cujus ope prolapfus faltem retinebatur ita, ut aegrota noftra, caeterum bene valens, ad minimum incedere et negotiis domefticis fungi poffit.

Patet itaque et luculenter ex hac modo commemerata obfervatione practica evictum eft,

partum non esse impossibilem neque admodum difficilem, etiamsi uterus gravidus ex toto sit prolapsus, et externe inter crura matris visibilis.

Similem quodammodo casum commemoravit Chirurgus Gallus *Ialouset* (*), quo foemina, prolapsu uteri habituali vexata, tandem gravida facta esset. Cum assueta huic malo jam per plures annos esset, pessarium gestare noluit, et uterus externe visibilis mansit (quod utique notari meretur) *ad finem graviditatis usque.* Eventus hujus partus insolitus fuit, cum auctor hujus observationis uterum quasi cartilaginosum, cultelli chirurgici ope, incidere deberet, ut partus ipse absolveretur.

Memorabilem vero historiam prolapsus uteri, nono graviditatis mense, enumeravit Chirurgus Norimbergensis *Müllner* (**). Mulier quaedam, quinto mense gravida, eo tempore, quo aquam ex puteo

---

(*) Vid. Iournal de Medecine et Chirurgie par A. Roux. Ianvier - Iuin 1775. Tomo 43.

(**) Vid. *Wolfgang Iacob Müllner* Seltene und höchstmerkwürdige Wahrnehmung von einer samt dem Kinde ausgefallnen Gebährmutter, nach einer neünmonathlichen Schwangerschaft, nebst gehörig angewandter Geburthshülfe, wodurch Mutter und Kind beym Leben erhalten worden. 1771.

haurire voluit, de insolito dolore in infimo ventre conquesta est et brevi tempore elapso, uterus prolapsus est et externe visibilis factus, qui ad finem graviditatis extra corpus prominuit. Cl. Müllner, partu appropinquante, digitum indicem orificio uteri externe visibili immisit, velamenta ovi disrupsit, et manu immissa infantem pedibus praeviis extraxit utique vivum, sed brevi tempore postea extinctum. Secundinis exclusis, repositio facta est, neque insolita quaedam symptomata morbosa in stadio puerperii observata sunt.

CAPUT VII.

HISTORIA PROCIDENTIAE UTERI COMPLETAE STATIM POST PARTUM, INTUS HAERENTE PLACENTA, CUM ANNEXO FUNICULO UMBILICALI.

Naturalem ac facilem partum edidit foemina multipara, 36 annos circiter nata, tempore vefpertino die XXVII Junii anni 1796, quae in domo medici W . . ch . rdt degebat: at enim vero placenta fponte non exiit, quamquam varia adminicula ab adftantibus imperitis adhibita effent. Petiit itaque auxilium meum aegrota altero infequente die, ut a fecundinis in utero relictis liberaretur. Adeuns eamdem et fedulo in ftatum praefentem valetudinis inquirens, haud parum miratus fum, explorationem obftetriciam minime inftitui poffe, quoniam integer uterus prolapfus inter crura puerperae prominens inveniebatur. Funiculus itidem umbilicalis ex orificio uteri externe vifibili libere propendebat et placenta ipfa in finu uteri recondebatur. Obftupefactus ab ipfa audivi aegrota, fe die elapfo, poft partum abfolutum, validiffimos edidiffe nixus pro expulfione placentae, nec non ob eamdem rationem, fe pedibus pluries inftetiffe

et deambulaffe, quo facto prolapfus hic uteri completus ex inopinato infecutus eft, cui antea nunquam fubnoxia fuit. Anceps in initio haefitavi, num prius placentam folvere et extrahere deberem, et deinde reponere uterum, vel vice verfa contraria plane ratione. Quoniam vero artificialis uteri dilatatio extra pelvis cavum mihi a legibus naturae quam maxime aberrare videretur, aliam et contrariam priori methodo viam ingredi, haud inconfultum duxi. Manu dextra mea, debita ratione oleo inuncta, repofitionem uteri prius adminiftravi, et deinde levem abdominis frictionem et novorum dolorum expectationem, pro fecundinarum folutione, neceffariam ac utilem fore, a re haud alienum effe arbitrabar. Haec tamen fpontanea placentae folutio per bihorium circiter a me fruftra expectata eft, et ob redeuntem uteri haemorrhagiam fufpectam, tandem obvoluto primum funiculo circa digitos manus finiftrae, dextra caute feparavi placentam ab interna uteri fuperficie, eamque integram cum velamentis ovi annexis extraxi. Puerpera poftea convaluit, ad hunc ufque diem integra fruitur valetudine et (quod notari meretur) procidentia uteri progreffu temporis non rediit, neque peffarii vel alius cujufcunque remedii ufum neceffariam reddidit. Facili itaque conjectura ex hac modo

commemorata obſervatione erui poteſt, uterum poſſe ex integro prolabi *ſtatim poſt partum*, priusquam placenta exierit, eumdem vero, repoſitione facta, etiam ſponte retineri in corpore foemineo, dummodo eadem procidentia uteri nondum adoleverit, neque habitualis fuerit facta, prouti in obſervatione Capite VI ejusmodi commemoravimus caſum.

Prolapſum uteri facillime reponi poſſe etiamſi uteri et vaginae ſuperficies exulcerata fuerit, teſtatur *Saviard* (*), et procidentiam uteri completam cum vaginae inverſione, extra graviditatem et partum, non ita pridem obſervavit et icone illuſtravit cl. *Herder* (**). At enim vero placentam, poſt partum editum (utero jam externe viſibili) intus adhuc haeſiſſe et prolapſum completum eo ipſo exortum, et poſt XII horas feliciter ſublatum eſſe, prouti ex noſtra obſervatione patet, nullibi, quantum mihi innotuit, legitur, et rarioribus tantum caſibus, in praxi obviis, adnumerari debet.

(*) Vid. Recueil d'Obſervations Chirurgicales faites par Mr. *Saviard*, ancien Maitre chirurgien de l'Hotel-Dieu. Paris 1784.

(**) Vid. Wilhelm Gottfried *von Herder diagnoſtiſch-practiſchc Beytraege zur Erweiteirung der Geburthſhülfe. Leipzig.* 1803 pag. 166. Aegrota ejus de dolore in infimo ventre, de teneſmo et alvi obſtructione conqueſta eſt, et inſimul de vitio quodam topico in genitalibus. Magnitudo prolapſi uteri et vaginae, caput virile fere adaequavit, neque repoſitio ſtatim, ſed elapſo octo dierum termino, ſperatum habuit ſucceſſum, quando tumor, ſanguine menſtruo evacuato, mollior factus eſt. Clariſſimus *Froriep* hujus obſervationis fuit teſtis, et ipſe prolapſus uterus per faſciam T et peſſarium, vix ac ne vix quidem retineri potuit.

Caput VIII.

Prolapsus uteri completus, statim post placentae inter partum exclusionem, validiori, quam par est, nixu contingens, et repositione manuali feliciter curatus.

Illuſtriſſima Principiſſa N. A. M—ky, habitus corporis macilenti et ſubtilioris compagis, die 7 Martii anni 1807 ſecũnda vice peperit filium. Vocatus fui hora nona matutina et audivi, dolores incepiſſe ad partum hora octava exacta, et quidem validiſſimo modo, ita ut quovis V minutarum intervallo, maximo nixu edito, redirent. Caput fuit praevium, ſed adhuc in ſuperiori pelvis apertura, et pelvis praecipue in exitu erat ampliſſima. Quamquam dolores continuarent vehementer, tamen caput per duas horas fere in apertura ſuperiori moram egit: tunc vero hora XIma matutina, uno nixu vehementiſſimo ſuborto, ex introitu pelvis in medium ejus cavum, nec non uno eodemque dolore etiam per exitum pelvis tranſiit et infantis excluſio ſeu partus ipſe, eodem momento, abſolutus fuit maximo cum parturientis ejulatu. Poſt 5 minutas

iterum elapſas, novus dolor et cum eodem placenta excernebatur, et cum eodem validiſſimo continuato nixu edito — quod haud parum miratus ſum — ipſe uterus *totus* externe protruſus, et cum orificio et fundo, inter crura puerperae viſibilis factus eſt. Ipſa puerpera ſtatim dixit, ſe aliquid inſoliti praevium ſentire, et credidit alterum adhuc infantem excerni. Interdixi ipſi, ne minimos amplius nixus ederet et ſtatim, manu integra in conum faſtigiata, uterum iterum introduxi, et repoſui, nec non per aliquod tempus retinui, uſque dum, novis ſubortis doloribus obſervarem, uterum in ſitu debito retineri, neque amplius protrudi. Ob repentinum partum et ſanguinis profluvium, animi deliquium ſupervenit: ſed poſt horam elapſam tandem placido ſomno refocillata aegrota, ſatis bene valuit, et puerperium habuit fauſtum. Notari vero meretur praecipue, quod poſt illud tempus uterus nunquam prodierit, ne ſemel quidem, et quod exploratione pluries inſtituta, illum ſemper ſtatu naturali elatum, ad hunc usque diem invenirem. Satis bene menſtruata poſtea eſt, integerrima fruitur ſanitate, et poſtea iterum gravida facta.

Ex hac obſervatione practica patet, uterum validiori, quam par eſt nixu, inter partum adhibito, prolabi poſſe, et repoſitione debita facta, etiam

retineri abſque peſſariis vel aliis remediis externis. (*) Pelvis hujus puerperae in inferiori apertura nimis ampla fuit et ideo, prouti facile colligi poteſt, in ſuperiori quodammodo anguſta: ob hanc rationem caput diu admodum in introitu pelvis moram egit et tandem in exitum ſeu ſpatium amplum, praeceps devolutum, ſecum ſecundinas et ipſum uterum traxit.

Facili conjectura etiam patet ex hac obſervatione, quam neceſſaria ac utilis ſit in partu naturali ac facili praeſentia obſtetricatoris, quoniam procidentia uteri ejusmodi inopinata praevideri non ſemper poteſt. Nam generoſiſſima puerpera noſtra, quae debilem habuit conſtitutionem, probabiliter ſanguinis fluxu continuante, vix ſervari in vita potuiſſet, niſi ſtatim eodem momento uterus eſſet repoſitus et in ſitum naturalem reductus.

(*) Idem etiam probat Obſervatio noſtra practica Cap. VII, id eſt, dummodo nondum habitualis factus ſit ille prolapſus.

Caput IX.

Procidentia uteri completa in puerpera, tertia post partum editum septimana, ex animi commotione facta, et penitus curata.

Die xxv octobris anni 1807, secunda vice partum naturalem ac facilem edidit generofiffima A. P. V — kow et ipfum puerperium fauftiffimum habuit, nullis infolitis affectibus morbofis ftipatum, quibus itaque accuratius enumerandis, ftudio gratae brevitatis, hic fuperfedeo. At enim vero in initio tertiae poft partum editum feptimanae, dum fanif-fima jam deambulare potuit, vehementer animo commota fuit, ob rixas inter confanguineos circa jus haereditarium, poft obitum foceri, actas. Sentiit ftatim ex inopinato, lochiorum fluxum cum vehe-mentia redeuntem, cum dolore in hypogaftrio, nec non obfervavit dyfuriam, et corpus quoddam pe-regrinum in finu genitalium praevium. Mifit ftatim ad obftetricem K..g..r, et etiam meum auxilium imploravit. Inveni *uterum prolapfum* et externe vifibi-lem, quem abfque mora, manu oleo inuncta et in conum faftigiata, repofui. Suafi fitum fupinum et

quietem per tres dies et juſſi, ut injectiones in uterum adſtringentes inſtituerentur ex decocto quercus et cortice granatorum, admixta parva ſpiritus vini quantitate. Spongia praeterea, figurae oblongae, eodem decocto madida, in vaginam applicata eſt, neque abſque fauſti ſucceſſus ſpecie. Elapſo enim triduo iterum incoepit deambulare, neque prolapſus illius minima veſtigia apparuerunt, ita ut crederem, eum pari ratione, uti capite VII et VIII commemoravi, poſſe retineri. At enim vero poſt ſex dies denuo elapſos, veſperi iterum ex inopinato, ſanguinis profluvium, dolor in hypogaſtrio et ipſa uteri procidentia facta ſunt, forſan non abſque cauſa, cum aegrota animo pluries commota eſſet. Iterum repoſitionem inſtitui, injectiones et ſpongiam adhibui et *peſſarium* applicare conſtitui, quod per duos menſes geſtavit aegrota et cum eodem rus petiit. Hyeme inſequente, menſe Februarii anni 1808, Moſquam iterum adiit et mihi enarravit, ſe poſt duos menſes ab uſu peſſarii abſtinuiſſe, utpote quodammodo ipſi moleſto, neque neceſſario, quatenus nunc bene valeat, bene ſit menſtruata, neque morbi praegreſſi minima veſtigia obſervet.

Hac mihi data qualicunque dicendi occaſione, liceat opinionem meam circa aethiologiam et curam prolapſus uteri, (quantum per aliquot an-

norum feriem obfervare mihi contigit), fincere et aperte fubjungere. *Ligamenta uteri relaxata* pro caufa proxima hujus morbi affumi non poffunt, cum haec fecundum accuratas obfervationes anatomicas aliam functionem habeant, quam ut uterum in fitu tantummodo retineant. Neque *ligamentorum difruptio* accufari poteft, prouti cadaverum diffectione patet. Majori vero probabilitate *relaxatio fundi vaginae* in plerifque cafibus morbi fomitem fiftit, cui inprimis nixus activus validior, qualicunque ex caufa editus, accedit.

Negari utique non poteft, in procidentia uteri recenter facta illius aegrotae, cujus hiftoriam modo commemoravi, peffarium non abfque fructu applicatum fuiffe. Verum enim vero utilitas *peffariorum* in genere, arctis limitibus circumfcripta eft in prolapfu uteri habituali et inveterato, ita ut illa palliativam tantum, minime vero radicalem curam fiftant, et faepiffime noxium potius effectum edant. Iis ipfis enim fundus vaginae per fe jam relaxatus, in eadem relaxatione retinetur. Quodfi peffaria jufto majoris fint voluminis, comprimunt inteftinum rectum et collum veficae, fi jufto minora, aegre retinentur, ut taceam, quod femper magis minufve moleftiam aegrotis inferant, et fluorem album augeant. Tentavi utique, praecipue in

initio praxis meae, peffaria applicare ex cera, ex ebore, ligno et refina elaftica, cum petiolo (ad methodnm *Camperi*) et abfque petiolo, figura rotunda, globulari, ovali, cum bracherio, fafciis et f. p. et in genere omnia illa, quae *Mauriceau*, *Levret*, *Smellie*, *Camper*, *Sure*, *Iuville*, *Denmann*, *Brünninghaufen* et alii plures commendarunt. Veruntamen, ingenue fateor, me non femper fperatum fucceffum et auxilium, pro cura radicali prolapfus uteri, per peffaria, obfervaffe.

Silentio vero praeterire non poffum, duo remedia, hucufque ignota, pro mechanica elevatione uteri delapfi in morbo inveterato, cum fructu adhiberi poffe, quorum alterum vaginae cavo intus admovetur, alterum abdomini externe applicatur: et quidem,

Imo: *Vectis uterini*, five *hyfteromochlii* (vid. Caput v.) applicatio, quo uterus e fede fua dimotus, altius quam digitis immiffis, elevari et ad priftinum fitum reduci poteft. Eadem repofitione facta, aegrota per aliquod tempus fitum corporis fupinum fervare debet, et ob relaxationem fundi vaginae, injectiones adftringentes deinde adhibendae funt, vel fpongia fomento tonico madida.

IIdo: *Ollarum ſuctoriarum* externa applicatio, in Ruſſia inter vulgus familiaris, quae ollae cucurbitarum ſiccarum munere, majori tamen effectu, funguntur. Methodum applicandi breviter deſcribere liceat. Pro uſu adaptari debet olla figulina ſimplex, quae aliquot librarum capacitatem habeat, cui, ut aër intus rarefiat, injicitur ſtupa accenſa. Abdomen aegrotae prius inungitur oleo, et deinde eidem abdomini, (plerumque regioni umbilicali) applicatur ejuſmodi olla cum flagrante ſtupa. Aëre eo ipſo rarefacto, abdominis contenta mollia cum integumentis externis in cavum ollae intrant, et haec iis ita impletur, ut in ſubjectis macilentis vix aliud quid, niſi compages oſſea extus ſupereſſe videatur. Elapſo aliquali temporis ſpatio, olla removetur, ſubducto margini ejus digito, vel faciliori adhuc ratione, ſi ejuſmodi olla adhibeatur, cujus fundus foramine pertuſus ſit. Eidem enim foramini indari poteſt epiſtomium, quo illud clauditur et pro re nata, aperitur. Quodſi igitur olla removeri debet, ſufficit epiſtomium extrahere et aëre atmoſphaerico irruente, nexum ollae cum abdomine ſolvere. Patet vel primo intuitu, per hanc operationem, etiam uterum delapſum, una cum reliquis abdominis contentis, ſurſum elevari, et ipſam hyſteroloxiam quodammodo corrigi poſſe. Quare plures

aegrotae morbis uteri organicis inprimis vexatae, in Ruffia, ejufmodi ollas fuctorias, repetitis vicibus, non fine fructu, applicare folent. Utilitatem earum, pro reductione herniae incarceratae, obfervatione practica comprobavit et illuftravit celeberrimus atque experientiffimus *Ioannes Conrad Hiltebrandt* (*) Collegiorum Confiliarius et academiae Medico-chirurgicae Mofquenfis Profeffor meritiffimus.

Caput x.

Mola carnosa, insignis magnitudinis, ex utero virginis quinquagenariae, vecte et operatione manuali extracta.

Cum Icone Tabulae III.

Die 1mo Julii anni 1808, auxilii ferendi gratia, vocatus fui ad P. V. I—FF. Virgo haec e nobili ftirpe nata, morumque integritate omnibus bonis femper fpectabilis, annum jam agebat quinquagefimum primum, et catamoeniorum fluxum quondam per tria circiter decennia, haud interrupta ferie, habuit regularem, qui vero per quinque annos nunc ceffare coepit. Ab ipfo hoc tempore inde

(*) Vid. Obfervationes medico - chirurgorum Rutheni imperii. Volumen Primum. Petropoli 1805 pag. 179 et fqt. *de novo, ad hernias incarceratas reducendas, remedio topico, caeteris longe praeftantiore.*

aegrota, loco menftruationis periodicae obfervavit primum *fluorem album*, deinde vero *ftillicidium cruentum*, alternantes quidem vices cum albo interdum agens, at enim vero ultimis annis praevalens, et continuo fere, non abundanti quamquam copia fed parvis maculis, guttularum inftar, linteamina tingens. Nihilominus tamen, fubinde vera uteri haemorrhagia facta eft, et maxima quidem. Generofiffima aegrota plurima remedia a peritis medicis accepit et adhibuit, aft incaffum. Morbus autem, de quo nunc conquerebatur, majori vehementia urgebat, quam ftillicidium illud cruentum, quo per tot annos laboraverat. Ultimis enim his elapfis diebus vexabatur doloribus, in dorfo et infimo ventre lancinantibus periodicis, dyfuria inprimis et ifchuria, nec non excretionis alvinae fumma difficultate; quibus omnibus admodum excruciebatur, ut ejulatus fubinde ederet, et de vita defperaret, non tantum ipfa, fed etiam adftantes atque agnati. Adhibita fuerunt maxima folertia omnia remedia, quorum ufum ratio ac experientia comprobavit a medico illius curam gerente perito ac revera exercitatiffimo, fed ipfam aegrotam de eo accufare debemus, quod, ob praepofteram verecundiam, medico fateri nollet, fe in partibus, generationi negotio dicatis, corpus quoddam peregrinum, vias urinarias atque

alvinas occludens, perſentire. Nihilominus tamen tandem dolorum acerbitate commota, hanc ſuam obſervationem communicavit agnatis, qui ob inſolitum morbum, conſilii gratia cum alios medicos tum me, tanquam medicum obſtetricatorem, convocare, conſtituerunt. Quoniam ex ipſius aegrotae commemoratione ſuſpicio moveretur, morbi fomitem in utero forſan quaerendum eſſe, hinc explorationem neceſſariam judicavi, et eadem inſtituta, inveni corpus carnoſum in introitu vaginae haerens, et ipſius cavum ex integro explens. Mentiebatur idem volumine quaſi caput infantis, prouti in ultimo ſtadio partus eſſe ſolet, ſed loco duritiei oſſiculorum cranii, hic obſervabatur mollities maſſae cujuſdam ſpongioſae ac carnoſae. Hac diagnoſi ſtabilita, extra omne dubium poſitum fuit, *impedimentum* illud, quo lotii ac alvi excretioni obex ponebatur, eſſe *mechanicum*, et hinc etiam curam adminiſtrandam eſſe externam manualem, ut aegra ab eodem corpore peregrino liberaretur. Ardua quidem res erat ſtatim determinare; num idem pro polypo vel pro mola haberi deberet, quoniam, ob inſigne volumen, digitus explorans, pro pedunculo (ſi adfuiſſet) attingendo, altius immitti non potuit. Nihilominus tamen molae praeſentia primo intuitu mihi probabilior videbatur, quia externus ejus habitus quodammodo

etiam visibilis glaber et viva carne integer apparuit, non vero prouti in polypis esse solet, sulcis ac pituita contaminatus. Tentavi utique digitis et quidem pollice, indice ac medio immissis, lenem corporis hujus attractionem, quae tamen non successit. Annuentibus itaque praesentibus medicis experientissimis et clarissimis *Loder*, *Phaeler* et *Tannenberg*, operatio a me suscepta est. Cum corpus peregrinum illud, cavum vaginae ex integro fere occluderet, constitui idem primum *extrahere*, eo scilicet consilio, ut si fuisset polypus, extractione praevia, filum pro ligatura commode applicarem, vel si fuisset mola, ut aegrotam ab eadem statim liberarem. Manus nudae applicatio, prouti jam supra monui, non sufficiebat, hinc pro adjuvanda extractione, applicavi lateri sinistro, ad corpus carnosam illud apposite, vectem fenestratum Rechbergeri, et dextro opposito, digitos tres manus sinistrae meae. Repetitis tali ratione tractionibus, massa illa carnosa in conspectum venire coepit, quae cum eousque externe promineret, ut commode ac firmiter manu integra prehendi ac arripi posset, remoto vecte, penitus a me, absque magna difficultate extracta est. Omnes cum medici tum adstantes mirati sunt insignem magnitudinem hujus corporis peregrini carnosi et figuram

ipſius oblongam et quaſi cuneiformem, quam ad naturam appoſite repraeſentat annexa Tabula III, a meritiſſimo artifice *Koeck* delineata. Prouti vel leviſſimo ac primo intuitu patet, nullus adfuit pedunculus, hinc itaque pro *mola* non vero pro polypo haberi debet. Immiſimus hanc maſſam carnoſam aquae, ut a ſanguine ac latice ſeroſo adharente liberaretur, fecimus inciſionem longitudinalem per medium maſſae, et invenimus ubique textum carnoſum denſum, nullibi vacuum et variis in locis vaſculis ſanguiferis ſanguine rubicundo adhuc turgidis refertum, quod praecipue miratus eſt celeberrimus ac de re anatomica meritiſſimus *Loder*.

Aegrota noſtra ſtatim levamen perſenſit, et doloribus omnibus ceſſantibus, lotium ac alvus commode evacuabantur. Conſtitutum fuit, ut quotidie bis inſtituerentur injectiones emollientes et depurantes in uteri cavum, eo ſcilicet conſilio, ut interna ejus ſuperficies, extractione corporis contigui ſauciata, quodammodo emolliatur et a peregrinis adhaerentibus flocculis liberetur. Haec omnia optimo fructu adhibita ſunt; nam ſecundo jam poſt operationem die, et pluries per integram primam ſeptimanam, *fruſtula membranacea* cinerei coloris ex utero per injectiones evacuata fuerunt. Quodſi recte

et accurate haec ſtrata membranacea examinarem, a veritate haud ita procul me abeſſe arbitratus ſum, ſi illas membranas pro *externo molae involucro* haberem, mediante quo, maſſa haec cornoſa poſtica ſua ſuperficie cum uteri cavo connectebatur et per quod, petiolo deficiente, nutriebatur. Probabile mihi itaque videtur, molam ipſam hoc involucro membranaceo cinctam, ac vagina quaſi obductam fuiſſe, praecipue in fundo, quo, prouti ex icone patet, laciniae membranaceae adhaerentes conſpiciuntur. Extracta mola ipſa, vagina membranacea remanſit per aliquot dies in utero, et deinde tanquam corpus mortuum peregrinum, in cinereum colorem decolor, excernebatur, ſimili plane ratione, uti membrana caduca uteri propria *Hunteri*, abortu facto, poſt aliquot tempus, excerni ſolet. — Supereſt ut denique addam, aegrotam noſtram, hac methodo medendi, modo commemorata, penitus convaluiſſe, et ad hunc uſque diem fauſta ac illibata frui valetudine.

Mola excreta pondus adaequabat novemdecem unciarum, et ſpiritu vini affuſo, conſervatur ad hunc uſque diem in muſaeo anatomico Univerſitatis Caeſareae Moſquenſis. Curavi vero, ut illa exacte ad naturam delinearetur, et icon aeri incideretur, quam adeoque publici juris nunc facio.



Christ Koeck del. Alex. Floror

MOLA CARNOSA

ex utero virginis quinquagenariae extracta,
magnitudine sua naturali.

Explicatio Tabulae III.

Mola ad magnitudinem naturalem adumbrata eſt.

a b axis longitudinalis adaequat, ab apice *a* quo prominebat ad fundum *b.* 5 pollices pariſinos et 9 lineas, vel quod idem eſt, 3 cum dimidio verſchok ruthenos.

c. d. axis tranſverſalis habet tres pollices pariſinos et tres lineas, vel duos fere verſchok ruthenos.

Verſus fundum *b.* membranularum fruſtula et flocculae mobiles ac pendulae inveniuntur, quibus mediantibus cohaerebat mola cum interna uteri cavitate.

CAPUT XI.

MOLA VESICULARIS ET RACEMOSA VETULAE, SPONTE A NATURA EJECTA.

Cum icone Tabulae IV.

Generoſiſſima ac Excellentiſſima Matrona quinquagenaria C. V. M — y, quae in matrimonio vivens plures infantes quondam in lucem edidit, aetatis ſuae anno quadrageſimo ſexto, obſervare coepit catemoeniorum fluxum irregularem, inprimis vero ab

anno 1799 inde, ftillicidium cruentum, continuo fere durans, brevi temporis tantum intervallo intermedio, quo ab eodem libera fuit. Quoad caufam mali, accufavit remedia aloëtica, quae per plures annos nimia quantitate ipfi fub forma pilularum polychreftarum exhibita fuerunt. Simplex abdominis attactus in hypogaftrio jam monftravit, duritiem ad umbilicum fere fe extendentem, et interna exploratione inftituta, orificio uteri etiamfi claufo, fegmenti inferioris dilatatio ac expanfio fatis magna facile cognofci potuit. Diagnofi quodammodo obfcura hujus morbi, medici plures curam illius gerentes fcirrhofitatem uteri, nec non proxime infequentem degenerationem cancrofam, probabilem habuerunt, et hinc etiam varia remedia huic fini accomodata, propinarunt. Sanguinis profluvium vero, diu admodum durans, aegrotam noftram ita debilitavit, ut maximum omnium functionum languorem in fe obfervaret. Faciei color fuit pallidus et ipfa aegrota per 4 annos et ultra neque pedibus inftare, neque deambulare potuit, et pluribus affectibus morbofis vexata eft.

Ex inopinato, verfus finem menfis Maji anni 1803, infolitos dolores in dorfo et hypogaftrio, fat fortes et periodice recurrentes, percepit. Vocatus

Fig. 1.



Fig. 3.



Fig. 2.




Fig. 4.



1 2 3 4

¼ d'une Archine.

D'après le pied du Roi.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12. lignes.

1 2 3 4 5 6 pouces

Double décimetre.

Christ. Koeck del. *Alex. Florow. sc.*

MOLA VESICULARIS ET RACEMOSA VETULAE,

ſponte a natura ejecta.

ad illam, exploratione facta, miratus ſum, orificium uteri nunc apertum inveniri, illudque digito exploranti offerre corpus ſubrotundum, carnoſum et molle, quod nocte 25 Maji, inter dolores lancinantes, qui in partu obſervantur, excluſum eſt. Examinavi illud nunc accuratius et agnovi *molam veſicularem* et *racemoſam* (Trauben - mola), quae, inciſione facta, in cavo ſuo nihil inſoliti continebat, praeter ſeroſum flaveſcentem laticem. Icone annexa Tabulae IV, magnitudo naturalis hujus molae viſui offertur et quidem:

Fig. I. Facies poſtica et ſuperficies externa, quacum immediate cohaerebat cum interna uteri ſuperficie. Plures tamen ſulci ac protuberantiae leviores in eadem facile obſervari poſſunt.

Figura II. Siſtit faciem anticam, in qua inciſio facta eſt. Humor ſeroſus efluxit et interna facies glabra racemoſa, nitide admodum, in conſpectum venit.

Figura III. Sectionem verticalem ejusdem molae unius lateris ſiſtit et

Figura IV. Sectionem verticalem alterius lateris offert.

Hujus molae excretione facta, aegrota noſtra optime convaluit, et quamquam aliis nunc, ob aeta-

tem provectam, ob animi moerorem, et ob res varias domeſticas, morbis ſubnoxia inveniretur, attamen ab illo tempore inde haemorrhagia uteri ceſſavit, et morbus localis uteri penitus ſublatus eſt. Adhibitis remediis roborantibus, et diaeta lauta, poſt 4 annos, quibus lectiſellae adfixa erat, nunc ambulare coepit, imo rus petere potuit.

In utraque hac mola, quam capite x et xi deſcripſimus, corporis diſſimularis morboſa excretio aſſumi debet, non vero conceptionis praegreſſae degeneratio vitioſa. Aetas etiam provecta utriuſque aegrotae rem ipſam extra omnem dubitationis aleam poſuit.

Caput XII.

Prolapsus uteri non gravidi, ex polypo uteri insignis magnitudinis, externe praevio.

Die 11 Februarii anni 1797 auxilium meum petiit mercator, officioſe rogans, ut miſerae cuidam, aegrotae diu admodum jam et graviter quidem, morbo uteri laboranti, opem ferrem. Vidi foemi-

nam fummopere emaciatam, debilem et pallidiffimam, quae fupina immobilis fere incumbebat pulvinaribus ftramine refertis. Enarravit mihi aegra, fe per plures jam adhinc retro annos fluore albo et inprimis enormi faepius redeunte haemorrhagia uteri laboraffe, qui morbus omnia remedia adhibita refpuebat, ultimis vero modo elapfis diebus, singularem factam fuiffe mutationem, et (ut propriis ejus utar verbis) uterum effe prolapfum. Ob ambiguam et obfcuram morbi notionem, non temere conftitui, ftatim explorationem inftituere, et obftupefactus obfervavi, inveniri corpus quoddam molle, globofum, volumen capitis modici infantis fere adaequans praevium, inter crura aegrotae, quod fpleniolis ex linteo follicite convolutum et obtectum fuit. Remotis iisdem apparuit, effe polypum uteri infignis magnitudinis, rugofum, cum pedunculo fatis grandi, qui per plures annos in uteri cavo incrementa coepit et inter ingentem haemorrhagiam, nunc non folum ex cavo exiit, fed etiam volumine ac pondere fuo, uteri fegmentum inferius fecum deorfum traxit. Pedunculus etenim manifefte intravit in orificium uteri, externe una cum corpore et fundo vifibile, et ipfa aegra enunciavit, idem corpus fingulare, ante aliquot dies valido nixu edito, inter ingens fanguinis

profluvium exiiſſe, quod impedivit, quo minus nunc neque incedere neque commode lotium emittere queat. Quoniam cauſa mali admodum evidens eſſet, polypum hunc abſque mora removendum eſſe conſtitui, eumque, ne recrudeſceret haemorrhagia, duplici cylindro Levreti valide adſtrinxi ita, ut tertio jam die, cum cadaveroſo foetore et cum magno ſeroſi laticis ſtillicidio, ſepararetur. Pondus hujus polypi tres libras ponderis medicinalis adaequabat. At enim vero illum diutius in ſpiritu vini conſervare non potui, cum, aëri diu extra corpus expoſitus, in putredinem cadaveroſam degeneratus eſſet. Injectiones detergentes quotidie inſtituendas juſſi, interne decoctum ſaturatum corticis peruviani exhibui, et tandem uterum protruſum, manu dextere immiſſa, repoſui. Hiſce adhibitis remediis fomes mali extinctus eſt, et vires aegrotae amiſſae ſenſim ſenſimque, continuato uſu medicamentorum cardiacorum et roborantium, ita reſtitutae ſunt, ut eadem ſpatio unius circiter menſis penitus convaleſceret.

Caput XIII.

Polypus tendinosus uteri, foeminae XXXVI annorum, e gente Georgiana natae, per ligaturam ablatus.

Cum icone Tabulae V.

Foemina xxxvi circiter annorum e gente Georgiana (ex Grufinia) nata, quae bis quondam felicem partum edidit, vidua facta, per biennium haemorrhagia uteri, modo ceffante modo iterum recrudefcente, laborare coepit. Cum in domo celfiffimi Principis Georgiae degeret, plures medici in auxilium ab Eodem vocati funt, et varia remedia cum externa tum interna adhibita fuerunt, at enim vero haec omnia incaffum, et abfque ullo levamine. Medicus curam Ipfius gerens experientiffimus ac meritiffimus H—t ob hanc ipfam rationem, non temere vitium uteri organicum fubeffe fuspicatus eft, et me in auxilium vocavit. Exploratione facta cognovi ftatim, *Polypum adeffe uteri* fingularis duritiei, qui vaginae cavum magna ex parte explevit, et longiori et duro petiolo terminatus eft. Conftitui itaque *ligaturam* hujus polypi inftituere, quae facta a me eft die Solis XVIII Octobris anni 1808 hora matutina nona. Poft quinque dies elapfos, id eft die

Veneris 23 Octobris hora vefpertina fexta polypus fponte abfceffit et pondus ejus adaequabat $\frac{1}{4}$ librae medicae. Longitudo ipfius a. b. (vid. Tab. V.) fuit 5 pollicum parifinorum et axis tranfverfalis c. d. fere duorum pollicum. Reticere non poffum, me in initio praxis meae, pro deligatione polypi, femper adhibuiffe cylindrum duplicem Levreti. At enim vero cum filum quotidie laxari et adftringi in eodem inftrumento debeat, ut indies magis adftringatur ligatura in petiolo, haec non abfque difficultate et taediofa inquinatione fieri poffunt. Hinc itaque progreffu temporis hanc et alias ligaturas polypi uteri femper inftitui cum inftrumento *Herbiniaux* (*), ex unico cylindro compofito, in quo filum ope clavis et rotulae ferratae facile quotidie magis magifque adftringi poteft. Inter applicationem fili utor conductoris inftar inftrumento *Deffaulti* (**), quod furcam mobilem in annulum terminantem fiftit, vagina argentea inclufam, et ingenue fateor, hoc inftrumento adhibito, facillimam effe operationem. Capfulae inftrumenti Her-

(*) Vid. *George Herbiniaux* (accoucheur à Bruxelles). Parallele de differens Inftruments avec les methodes pour s'en fervir pour pratiquer la ligature des polypes de la matrice. A la Haye 1771.

(**) Vid. *Haffelberg* commentatio, in qua novam humerum ex articulo extirpandi methodum, novumque ad ligaturam polyporum inftrumentum proponit. Gryphiae 1788.



1 2 3 4 Verchcoves

Demie pied du roi

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 lignes.

1 2 3 4 5 6 pouces.

Double decimetre.

10 20 30 40 50 60 70 80 90 100 200

rist. Koeck del. Alex. Florow sculp.

POLYPUS UTERI TENDINOSUS,

Foeminae, e gente georgiana natae,
per ligaturam ablatus.

biniaux adnectebatur faccus bombyce refertus ex ferico cerato. Quotidie aegrotam adeuns nihil feci, nifi quod clavis ope filum adftringerem ad unum gradum vel duos ferratae rotulae. Hac ipfa ratione certus fui ligaturam nunquam laxari poffe, fed potius indies adftringi, et eo ipfo munditiei ftudui et me ipfum et inftrumentum ab omni inquinamento liberum fervavi, neque ipfa aegrota de rudiori quadam inftrumenti contrectatione (ob faccum bombyce refertum et undique mollem) conquefta eft. Notari itidem meretur, ligaturam in hoc cafu et femper, quoties eamdem mihi inftituere contigit, non eodem ipfo loco, quo injecta eft, abfcedere, fed *pone ligaturam*, id eft ultra vel fupra illam, quod ideo filentio praeterire nolui, quoniam rariffime in fcriptis artis peritorum hujus rei mentio injecta eft, et quia ipfe in initio praxis meae fruftra expectavi, ut ipfo loco, ligaturae abfcederet petiolus, et ut ille quafi ligatura evaderet disciffus.

Quodfi recte examinetur hic polypus, liquido conftat, illum tendinofae et compactae prae ceteris compagis fuiffe, et eo ipfo illum ab aliis differre.

Ipfa aegrota noftra, viribus ob haemorrhagiam infignem praeviam exhaufta, accepit remedia roborantia, nec non injectiones abftergentes et iis

medicamentis adhibitis, nec non diaeta lauta, penitus convaluit et adhuc faufta fruitur valetudine. — Menftruatio etiam rediit regularis et nulla haemorrhagia neque fluore albo ftipata fuit.

Caput XIV.

Polypus uteri magnitudinis insolitae, ope forcipis obstetriciae extractus, et extra vaginam faustissimo successu deligatus.

Excellentiffima ac generofiffima Matrona M. S. O--sky per plures annos haemorrhagia uteri, quae alternantes vices cum fluore albo egit, laboravit. Cum annum jam ageret quinquagefimum tertium, ipfa aegrota credidit, caufam mali a *ceffatione* menftruorum derivandam effe, et ideo per aliquot tempus nulla, deinde varia et plurima remedia fruftra adhibuit. Tandem die XXmo Maji anni 1809 me in confilium et auxilium vocavit Medicus ipfius experientiffimus M — n et explorationem obftetriciam eo confilio propofuit, ut morbi natura, inprimis vero caufa clarius elucefceret, qua urinae retentio, de

qua nunc aegrota noſtra quam maxime conquerebatur, facta ſit. Inveni integrum cavum uteri et praecipue vaginae, corpore quodam peregrino carnoſo repletum tam inſolitae ac inſignis magnitudinis, ut neque digito exploranti quaquaverſum ad latus liber pateret aditus, neque ſurſum ad ſegmenti uteri inferioris ſumitatem pro examine, num illud corpus pedunculo cuidam adnexum ſit vel non. Dubia hinc fuit diagnoſis vel molae vel polypi, cujus petiolum digito explorante attingere minime licuit. Aegrota tamen, lotio retento et alvi obſtructione quam maxime vexata, anxie promptiſſimum auxilium efflagitavit. Ardua utique fuit res, juvamen, nondum bene cognita morbi indole, praeſtare. Commemoravi Capite XII hiſtoriam polypi cujusdam inſignis, qui ſponte natura e cavo vaginae exiit et inter crura aegrotae viſibilis, ipſum uterum ſecum deorſum traxit, illaeſo pedunculo, in quo ligatura extra corpus fauſtiſſimo ſucceſſu a me inſtituta fuit. Conſtitui itaque id, quod natura ſponte quondam fecit, nunc arte audacter imitari, id eſt, conſentiente collega praeſente, corpus illud peregrinum *e vagina extrahere*, et tandem, pro re nata, debitum auxilium praeſtare. Simplex attractio corporis illius per manum non ſufficiebat, neque fauſtiori ſucceſſu vectis applicatus eſt. Cum autem

volumine infigni fuo, capiti infantis in ultimo partus ftadio non ita abfimile videretur, applicavi *forcipem obftetriciam* et quidem *Denmanni*, pari encheirefi, uti in paragomphofi capitis, et tractionibus aliquot adhibitis, in confpectum venit et ex vagina exiit *polypus infolitae magnitudinis*, volumen capitis infantis feptimeftris fere adaequans, mollis carnofus et lividi coloris, cum pedunculo fatis longo et tenui integro. Statim ac polypus exiit et preffio in canalem urethrae ceffavit, libere lotium excernebatur, maximo aegrotae levamine, et nunc *ftatim* abfque mora *ligaturam* inftitui, die Saturni XXII Maji 1809, hora pomeridiana quinta audita, in praefentia medici D. M — n. Quamquam deligatio facta erat, attamen polypus extra vaginam prominens iterum in vaginam intrudi non potuit, et cum aegrota inde nullum dolorem perfentiret, neque reponi debuit. Contegi igitur polypum tantum linteamine et non fine voluptate ac curiofitate quadam, quotidie filum ope clavis adftringens obfervavi, quomodo indies marcefcere et putrefcere coeperit, magna copia laticis ferofi ac foetidi exftillante. Ut munditiei ftudeatur, quotidie ablutio facta cum decocto herbarum aromaticarum, et interne aegrotae exhibebatur decoctum corticis peruviani. Ipfa ligatura adhibita admodum fauftum praeftavit

effectum, ut totus ille polypus, tertio jam die id eſt die Martis XXVti Maji hora meridiana, ſponte ſeparαretur eo tempore, quo aegra alvum excernere voluit. Volumen ejus ſatis magnum fuit, et pondus, poſt operationem inſtitutam, adaequabat fere libram unam integram. Aegrota ipſa optime convaluit et verſus finem menſis Junii ſaniſſima rus petiit.

Patet itaque et extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, hac modo commemorata obſervatione practica, polypum uteri in illo caſu, ſi inſolitam habeat magnitudinem, neque ad pedunculum liber adſit aditus, commode *poſſe prius e vagina extrahi forcipe*, et deinde *abſque ulla difficultate deligari.*

Caput XV.

POLYPUS UTERI, EXIMIAE MAGNITUDINIS, ATQUE TRIUM LIBRARUM PONDERIS, VALIDIORI NIXU EDITO, EXTERNE PROTRUSUS, ET LIGATURA FELICITER ABLATUS, IN VIRGINE LX ANNORUM.

In domo M. C. R. ttm—r ferva quaedam, virgo LX annorum, per plures annos haemorrhagia uteri, faepius recrudefcente, vexabatur. Eo ipfo, nec non fluore albo, vires aegrotae quam maxime funt exhauftae, pallor faciei obfervabatur infolitus et appetitus penitus proftratus. At enim vero cum, ob praepofteram verecundiam, auxilium medici quaerere nollet, et morbi fomitem ipfa ignoraret, nulla remedia hucufque adhibita fuerunt. Die tandem 2 Septembris anni 1809, validiori nixu inter alvi depofitionem edito, corpus quoddam peregrinum, eximiae atque enormis magnitudinis, externe inter crura vifibile, apparuit. Quod cum pro utero prolapfo haberet, neceffitate ac periculo urgente coacta aegrota, tandem auxilium meum quaefivit die 3 Septembris. Inveni aegrotam, fanguinis jactura, omnibus vibus exhauftam et omnes

adſtantes, ob inſtans vitae periculum, animo vehementer perturbatos. Exploratione inſtituta, non tantum tetigi, ſed etiam vidi *polypum inſignis magnitudinis*, capitis infantis volumen fere adaequans *praevium*, qui uterum ipſum pondere ſuo, ac nixu validiori edito, ſecum traxit et itidem viſibilem reddidit. Quo facto abſque mora, eodem die (3 Septembris) veſperi hora quinta, in praeſentia adjuncti mei, Doctoris D . . . l . vsky, ligaturam polypi inſtrumento *Herbiniaux* inſtitui, et interne remedia cardiaca, ex decocto valerianae, corticis peruviani et cinnamomi, addito aethere Vitrioli, propinavi. Polypus altero jam inſequente die inſigniter intumuit, coeruleus ac lividus quaſi factus eſt, et formam lagenae inverſae repraeſentavit. Curavi, ut ablueretur plüries de die, munditiei gratia, decocto ex herbis aromaticis cum ſpiritu vini camphorato. Adſtrinxi filum per rotulam ferratam, ope clavis die quarto et quinto Septembris, adhibendo inſimul remedia interna ſupra commemorata, et denique die ſexto Septembris hora XI ma matutina polypus, petiolo deligato ac adſtricto, penitus abſceſſit. Subſtantia ejus mere obſervabatur carnoſa, et ſummopere miratus ſum, pondus ejus adaequare $3\frac{1}{4}$ librae medicae. Quo facto uterum prolapſum, manu dextere immiſſa, repoſui, ſitum ſupinum ſuaſi, et uſum remediorum

roborantium, nec non diaetam lautam nutrientem, diutius continuare juſſi. Aegrota penitus convaluit, uteri prolapſus non rediit et polypus ipſe ad hunc uſque diem, ſpiritu vini affuſo, aſſervatur in muſaeo anatomico Univerſitatis Caeſareae - Moſquenſis.

Caput XVI.

Polypus uteri stupendae magnitudinis, et $4\frac{1}{4}$ librarum ponderis, sponte e genitalibus protrusus, et simplici ligatura feliciter ablatus.

Cum icone Tabulae VI.

Die XXIX Septembris anni 1809 hora matutina XIma in auxilium vocatus fui, mulieris cujusdam aegrotae quinquagenariae, quae in domo N. P. L—ch—n degebat. Commemorarunt mihi adſtantes, uterum per biduum jam prolapſum eſſe, quod utique veritati non abſonum fuit. At enim non ſimplex uteri procidentia obſervabatur, ſed *polypus* ſtupendae ac revera enormis magnitudinis *externe* extra genitalia cum ſatis longo petiolo *praevius*,

TABULA. VI.
ad pagin. 115.



A. Sidaratsky del. Alex. Florow sc.

POLYPUS UTERI

stupendae magnitudinis et 4¼ librarum ponderis per ligaturam ablatus.

qui ante biduum inter validum nixum protrusus inveniebatur, et mole sua uterum deorsum pressit eumque itidem externe visibilem fecit. Quamquam instrumentum pro ligatura eo ipso momento ad manus mihi non esset, cum ante meum aditum ignorarem, de quonam morbo ageretur, attamen ligaturam, ob urgentem necessitatem, differre nolui, neque a me impetrare potui. Applicavi adeoque statim petiolo satis longo ligaturam simplicem, vinculo sericeo, quod laquei ad instar, nodo chirurgico valide adstrinxi. Altero insequente die, polypi insignem intumescentiam observavi et, ut citius ille abscederet, supra ligaturam hesterni diei hodie aliam firmiorem cum instrumento applicavi, ita ut ope clavis filum quam maxime adstringeretur. Eodem die jam (30 Septembris) vesperi hora XIma polypus separatus sponte abscessit, et tertio die aegrotam meam, de faustissimo operationis successu laetam et dereliquo, bene valentem inveni. Miratus autem revera sum stupendum polypi rarioris hujus volumen, quod caput infantis excedere videbatur. Pondus ejus referebat $4\frac{1}{4}$ librae, quod utique majus est, quam unquam in scriptis aliorum obstetricatorum descriptum invenitur. Curavi itaque, ut polypus iste, qui qualecunque musaei anatomici Universitatis ornamentum sistit, ad naturalem magnitudinem

delinearetur et aeri incideretur. Teſtis hujus operationis fuit Doctor et Academiae Medico-chirurgicae Adjunctus B — Z, et ipſa aegra penitus convaluit. —

Hiſtorica commemoratione horum polyporum uteri evidenter evictum eſt:

Imo polypum majoris voluminis, ſi mole ſua totum cavum vaginae expleat et eo ipſo ligaturam *intra* ſinum genitalium non admittat, fauſtiſſimo cum ſucceſſu poſſe forcipe obſtetricia extrahi et *extra* commode deligari. Operatio enim noſtra, quam Capite XIV enumeravimus, facillime et optimo cum fructu inſtituta eſt.

IIdo patet etiam, polypos uteri majores ſponte a natura tandem e vagina plerumque protrudi et externe viſibiles reddi, ſi ligatura prius non fuerit inſtituta, quot teſtantur caſus Capite XII, XV et XVI deſcripti. At enim vero inde non ſequitur, hanc ſpontaneam expulſionem polypi ſemper expectandam eſſe, pro operatione artificiali feliciter inſtituenda. Omnes enim hae aegrotae, ob ſanguinis jacturam, quam maxime fuerunt debilitatae et ipſa vita earum quodammodo periculo expoſita, priuſquam natura polypos e vagina excernere potuit. Quodſi tamen contigerit, non

desperandum est de fausto successu. Nam ejusmodi aegrotae etiam convaluerunt et ad hunc usque diem integra fruuntur valetudine. Neque reticendum est, ligaturam facilius extra vaginam institui posse, et ipsum polypum breviori temporis intervallo abscedere, cum liberior sit aditus extra vaginam ad petiolum, qui eo loco deligatur, quo tenuior est. Facile itaque explicari potest ratio, qua polypi maximi trium et quatuor librarum (vid. Caput XII, XIV, XV et XVI) citius extra vaginam exstirpati sint, quam minor uteri polypus in vagina deligatus $\frac{3}{4}$ librae ponderis, cujus historiam Capite XIII commemoravimus.

IIItio neque negari potest, uteri procidentiam completam a polypo magni voluminis factam, qui mole ac pondere suo integrum hoc organon deorsum trahit et externe visibile reddit, facillime tolli, dummodo, post operationem factam, statim manu in naturalem situm reponatur. Omnes enim quatuor aegrotae nostrae penitus convaluerunt, nulla remansit vel rediit procidentia uteri, neque alius qualiscunque affectus morbosus localis, neque opus fuit, pessarium iis applicare, pro retinendo utero.

Quod vero instrumenta pro ligatura polypi uteri attinet, monui jam supra, me sub initio

praxis meae adhibuiſſe duplicem cylindrum *Levreti*, et progreſſu temporis inſtrumentum *Herbiniaux*, cum conductore illo, quem clariſſimus *Deſault* nominavit ſuum *Portenoeud* et *conducteur de l'anſe.* Non eſt vero, ut haec inſtrumenta pro ejuſmodi habeam, quae ſint omnibus numeris abſoluta vel reliquis anteponenda. Mihi tamen in praxi eorum utilitas hucusque fuit probata et ſufficiens. Experientia enim quotidiana teſtatur, operatores exercitatos non ſemper illa tantum adhibere inſtrumenta, quae noviter inventa ſunt, ſed ejusmodi potius, quorum applicatione habitum practicum ſibi acquiſiverunt, et quibus operatio ab iis ipſis pluries cum fructu et abſque ulla difficultate inſtituta eſt. Neque opus eſt, ut praeferatur compoſitum ſimpliciori et ſimpliciſſimo. Sic in polypo maximo, pondus quatuor librarum excedente, quem Capite XVI deſcripſi, ſimplex nodus chirurgicus cum ligula ſericea cum fructu adhibitus eſt, quia in hoc caſu polypus externe viſibilis fuit, et inſtrumenti applicatio, quamquam altero inſequente die facta ſit, non pro abſolute neceſſaria haberi potuit. In omnibus reliquis caſibus, mihi in praxi obviis, inſtrumenta ſupra commemorata ſperatum praeſtarunt effectum, et hinc illa, novi cujuſdam inventi gratia, derelinquere nolui, neque a me impetrare potui. Non eſt vero,

ut etiam illa inftrumenta fua laude defraudanda effe exiftimem, quae pro ligatura polypi uteri per tot annos a *Levret*, *Contigli*, *Ioanne* ac *Guilielmo Hunter*, *David*, *Goertz*, *Niffen*, *Klett*, *Löeffler* et *Bernftein* (*) commendata, ac publici juris facta funt.

CAPUT XVII.

PRONEPOS, PROAVIAE, SEPTUAGINTA ANNORUM MULIERIS, LACTE NUTRITUS.

Non defuerunt hinc inde viri, artis obftetriciae periti, qui, fieri poffe, ut provectioris aetatis mulieres, etiam ultra ftadium puerperii lacte fuo infantes nutrirent, idque fe ipfos aliquoties obfervaffe, contenderent. Equidem, fub initio praxis meae his obfervationibus parum fidei me habuiffe, haud negaverim. Verum enim vero die III Septembris 1803 partum naturalem fecunda vice edidit

(*) Subintelligo hic inftrumentum illud, cujus inventum debetur chirurgo Gallo *Bouchet*, et quod clariffimus *Zenker* communicavit *Bernftenio*, quamquam non negaverim, idem effe unum ex praeftantiffimis. Vid. perilluftris *Loderi Journal für die chirurgie Geburthshülfe* und *gerichtliche Arzneykunde im zweytên Bande*, *Viertem Stück*. Iena 1799 pag. 620.

nobilis foemina *Maria Simonis filia* S-v-n, cujus curam in partu et puerperio geſſi. Haec mihi caſum memoratu digniſſimum enarravit, cujus, inter primum partum ante duos circiter annos editum in propria domo ſua, fuit ocularis teſtis et ipſa haec puerpera, et maritus ejus. Cum homines eſſent ejuſmodi fidei atque animi candoris, ut de veritate facti dubitari non poſſit, obſervationem hanc publici juris facere mihi liceat.

Generoſiſſima haec puerpera S—n, primum partum editura, nutricem infanti ſuo alendo rure arceſſivit. Mulier haec ruricola, annos tum nata circiter viginti, cum filiolo ſuo, antequam domina peperiſſet, Moſquam venit. Concomitabatur eam mulier annum tum agens ſeptuageſimum, proavia infantis, eo quidem conſilio, ut ſi, poſtquam domina puerpera facta eſſet, pronepos a matre removeretur, domum hunc in domeſticum focum reduceret, et matre orbi curam gereret.

Tandem peperit foemina nobilis S — n, et infans ejus ſtatim traditus eſt nutrici, hujus vero filiolus curae demandatus proaviae, quae, cum rus ſtatim redire non potuiſſet, in eadem domo degebat.

Elapſis ſic aliquot hebdomadibus mater nobilis audit a ſervis ſuis, puerum ruſticum lactari a proavia illa vetula. Cui fabulae cum fidem habere nollet, tandem, ut curioſitati ſatisfieret, et anum et infantem ad ſe vocari juſſit. Proavia, cum veniſſet, minime negat, ſe, quamquam LXX annos natam, lacte ſuo pronepotem nutrire. Commiſerata ſcilicet bona anus novercalem pronepotis a matre derelicti ſortem, aliquoties, ut ejulantem puerum tranquillaret, papillam mammalem ori ejus applicuerat. Poſt aliquot dies mammas ſuas lacte turgidas intumeſcere atque indies magis magiſque repleri, ſenſerat. Ita narrat, ſimulque veritatem rei demonſtratura, matre nobili pluribuſque aliis praeſentibus, mammas ſuas viſui offert, quibus leviter preſſis, ſatis magna copia lactis effluxit.

Singulare hoc Φαινομενον mirati ſunt omnes, praeter vetulam ipſam, quae in nepote ſuo, patre hujus pueri ruſtici, *idem* ſe feciſſe, adjecit. Matrem enim nepotis illius, filiam ſuam, narrat, mox poſt partum editum tunc deceſſiſſe. Itaque, ut ejulatum pueri inhiberet, mammam ſe identidem ori ejus admoviſſe, proſperoque eventu eum lactaſſe, etſi per XVII jam annos tum parere deſiiſſet. Adolevit nepos ſanus et robuſtus, et plures poſtea liberos genuit, quorum unus fuit puer ille ruſticus.

Haec itaque vetula LXX annorum, quae ante XXX annos profpero fucceffu nepotem lacte fuo nutrierat, idem nunc periculum fecerat in pronepote, idque non minus faufto eventu. Pronepos enim a proavia LXX annorum lactatus fanus manfit, et, dum hoc fcribebam certe, adhuc vivebat.

Veritatem rei, fi quifquam in dubium vocare voluerit, teftantur mater nobilis ipfa, maritus ejus, plurefque alii, qui propriis oculis haec omnia viderunt.

Plures auctores, obfervationibus rarioribus, probare annituntur, *lac verum* inveniri,

Imo In maribus, uti ARISTOTELES (a), BARTHOLINUS (b), CYPRIANUS (c), DIEMERBROECK (d), ROBERT (e), et alii plures (f).

(a) Ariftoteles de Hiftoria animal. Libr. I. Cap. XII.

(b) Bartholinus Hiftoria anatom Centur. I. p. 27.

(c) Cyprianus Epiftola de foetu tubar. Lugd. Bat. 1700 p. 23. dicens: „Viri lactiferi hodie adhuc mihi noti, apud noftrates fuppetit exemplum. Hic, alioquin fatis obefus et pinguis continua, illa preffione mammarum ita eafdem partes affuefecit, ut lac funderent, quoties voluerit, faepe cum adftantium muliercularum rifu et admiratione.“

(d) Diemerbroeck anat. L. II. c. 2. Ejus hiftoria invenitur in Cypriano etiam loco citato pag. 22.

(e) Robert in philof. tranfact. v. Leske auferl. Abhandl. II. Band p. 220. (*Senex lactans.*)

(f) Gazette de Santé 1788 No 23.

IIdo In Virginibus, uti HIPPOCRATES (g), VEGA (h), FORESTUS (i), SCHENCK (k), et SCHACHER (l).

IIItio In vetulis, uti AMATUS LUSITANUS (m), LOUISE BOURGOIS (n), STAK (o), SAND (p), et alii plures (q).

Neque inter recentiores fcriptores defunt ejusmodi auctores, qui contendunt, mulieres fexagenarias optimo fucceffu poffe lactare infantes.

Ephemerides naturae Curioforum. Dec. I. Annus II. Obf. 135. Anno VIII. obf. 86. Dec. II. Anno V obf. 120. Dec. III. anno VII et VIII. obf. 86. (*pueri*).

(g) Hippocrates aphor. Sect. v. n. 39.

(h) Vega commentar. in Hippocrat Aphorifm. V. n. 39.

(i) Foreftus Libro 38 obf. 77. Schol.

(k) Schenck obferv. Libr. II. n. 289.

(l) Schacher progr. de lacte virorum ac vîrginum, num illud nutriendo infanti fufficiat? Lipf. 1742.

(m) Amatus Lufitanus Libr. I. cur. 47.

(n) Louife Bourgois in obfervations diverfes fur la fterilité et maladies des femmes. Paris 1642. pag. 9. dixit:

„Je le puis dire avec verité, ayant vue une femme qui agée de quarante huit à cinquante ans, n'ayant jamais eu d'enfans avoit du lait, qu'elle faifait rayer.“ etc.

(o) Stak in philofoph. Tranfalt. v. Lefke auferlef. abhandl. II. B. p. 218 (agitur de muliere lactante 68 annorum).

(p) Sand differtatio, de effoetarum lactatione, Regiomonti 1701.

(q) Gazette de fanté. 1777. p. 135.

Ephemerides Naturae curioforum Dec. I. anno III. obferv. X, qua agitur de lacte in vetula fuctu prolecto, nec non ibidem Centur. X appendice p. 466 de vetula lactante.

His adnumerandus eſt cl. *Kraul* medicus Roſtokienſis, qui ſimilem obſervationem practicam publici juris (non ita pridem) fecit in celeb. *Hufeland* diario (r). Uxor fabri ferrarii, quae gemellos uno partu in lucem edidit, alterum infantem matri ſuae, mulieri ſexaginta annorum, curae commiſit, ut illum ſcilicet alimento debito aleret. Avia nepoti lac vaccinum exhibuit. Cum autem infans continuo ejularet, papillam ſuam mammalem lacte inunctam ori admovit anus. Infans avide ſugebat et in vetula, lac in mammis abundanter accumulatum eſt, quocum illum per novem menſes fauſto ſucceſſu alere potuit. Auctor obſervationis hujus D. *Kraul* vetulam ſexaginta annorum ipſe vidit, nec non nepotem ejus, avide lac aviae ſugentem.

Idem ſe obſervaſſe contendit cl. *Schmidtmann* (ſ) in muliere LXIV annorum, quae per triennium fere, optimo cum fructu, infantem lactavit, quamquam jam xx anni elapſi eſſent ab illo tempore inde, quo ultimum partum ediderat.

(r) Vid Hufeland Journal der practiſchen Heilkunde V Baud im I Stück p 243.

(ſ) Vid. *Hufeland Journal* VII. Band. 4 Stück.

CAPUT XVIII.

DESCRIPTIO INFANTIS MONSTROSI, PARTU PRAEMATURO SEXIMESTRI IN LUCEM EDITI, IN QUO PEDES AD DORSUM REFLEXI INVENTI SUNT, PECULIARI PRAETERNATURALI SACCO LUMBIS AC PERINAEO INTERMEDIO.

Cum icone Tabulae VII et VIII et Epicrisi.

Die XImo Januarii anni 1799, partum praematurum pueri mortui sex circiter mensium edidit foemina nobilis, et cum placenta diu admodum moram ageret, me in auxilium vocavit. Inveni secundinas jam ab interna uteri superficie sponte solutas, et leviori abdominis frictione adhibita, novis doloribus supervenientibus, placenta integra absque difficultate excreta est, et ipsa mater faustissimum habuit puerperium. Causam manifestam, qua partus praematurus factus sit, nemo mihi determinare potuit. Puerpera durante graviditate integra fruebatur valetudine, neque violentiam quamdam externam unquam perpessit; observavit simpliciter, se motum infantis ultimis diebus minus alacriter persensisse, qui, sensim sensimque imminutus, penitus cessavit. Secundinis jamjam ablatis, postquam puerpera lecto

commiſſa eſt, ut placido ſomno refocillaretur, obſtetrix T—p—ſky, quae partui praeerat, me clanculum in aliud hypocauſtum vocavit et mihi monſtravit puerum *monſtroſum.* Singularem formam hujus monſtri haud parum miratus ſum, et, ut accuratius a me examinari poſſet, curavi, ut aqua ablueretur et, venia a patre accepta, domum a me referretur. Conſervavi illud, ſpiritu vini affuſo, in vitro amplo et conſtitui, ut primo, exacta formae ac habitus monſtri integri, ad naturalem magnitudinem, fieret adumbratio, deinde anatomica diſſectio, et ſceleti inde parati diſquiſitio. Magno adminiculo autem mihi fuit peritiſſimus artifex *Koeck*, munere publico Univerſitati noſtrae addictus, cui accuratam delineationem hujus monſtri debeo. Quaecunque itaque ſolerti diſquiſitione obſervare mihi contigit, haec nunc pauciſſimis verbis deſcribam, ut cauſa ac origo inſolitae hujus monſtroſitatis clarius elucefcat.

TABULA VII.

Siſtit infantem monſtroſum, praematuro partu excluſum, habitu integro, ac magnitudine naturali.

a. Caput pueri, ratione habita ad integrum corpus, utique ſat magnum, minime vero monſtroſum, quatenus ſolitas dimenſiones non excedit. Facies ipſius pulcherrima.



ist. Koeck del. Alex. Florow sculp.

INFANS MONSTROSUS

partu præmaturo ſeximeſtri in lucem editus, in quo pedes ad dorſum reflexi inventi ſunt, peculiari ſacco lumbis ac perinaeo intermedio.



b. c. d. Brachia, fcapula et manus, folitam habuerunt proportionem ac directionem.

e. Pro abdominis cavo, fpatium jufto anguftius, quam par eft.

f. g. h. Monftrofa vero invenitur directio femoris f genuum g et pedum h ita quidem, ut genua refpicerent dorfum, et flexionem tantum retrorfum (non verfus anticam corporis fuperficiem, prouti in ftatu naturali obfervatur) admitterent. Quodfi adeoque ponamus, hunc infantem vivere vel unquam ingredi potuiffe, tunc ex organica ftructura patet, quod hic ingreffus non facie praevia, fed occipite praevio, locum habere debuiffet.

i. k. Monftrofa eft directio phalangum pedum, cum pollices i i in utroque pede extrorfum flexi inveniantur, minimi vero phalanges k. k. introrfum. Pari ratione malleolus externus hic habetur internus.

l. l. l. Monftrofus invenitur faccus, volumine fatis magno, qui ab ultima circiter vertebra lumbali incipit et ad directionem perinaei in fcrotum dehifcit, nullo veftigio inteftini recti intermedio. Saccus hic quoad externum attactum mollis erat cuti concolor, et fluctu-

ationem facile percipiendam manui exploranti obtulit.

Ex illis, quae infra dicentur, facile colligi poterit, quid in eodem facco contentum fuit.

Ut accuratius ftructura et proventus hujus monftri examinetur, poftquam externus habitus ejus accurata delineatione adumbratus fuit, difquifitiones anatomicas, inter ipfas meas praelectiones academicas, coram auditoribus ac ftudiofis Univerfitatis noftrae inftitui. Ut defcriptionem aliarum partium, quae nihil infoliti obtulerant, taceam, inquirendum praecipue fuit in *faccum* illum l. l. l. monftrofum. Incifione facta, magna laticis aquofi pellucidi quantitas exiit et ampliata incifura, miratus fum eo loco, ubi definit ultima vertebra lumbalis, *os facrum plane deficere*, et loco illius, *caudam equinam* medullae fpinalis, larga laticis illius quantitate inundatam libere inveniri, quo ipfo itaque *fpinae bifidae* praefentia extra omnis dubitationis aleam pofita eft.

Tabula VIII.


Siftit fceleton ejusdem pueri, ligamentis fuis naturalibus.

Fig. I. partem anticam corporis.

Fig. II. partem pofticam corporis.

a. a. caput forma fua naturali.

Fig. I. Fig. II.



rist. Koek del. Alex. Florow sculp.

SCELETON EIUSDEM INFANTIS MONSTROSI
ligamentis suis naturalibus.



b. c. d. ſcapula, brachium et phalanges manus.
e. e. columna vertebralis.
f. f. coſtae.
g. Fig. II. *os ſacrum plane deeſt*, et loco illius datur vacuum ſpatium, per quod cauda equina exiit, et magna laticis aquoſi quantitate inundata, ſaccum illum (Tab. VII. l. l. l.) formavit, ob eumdem oſſis ſacri defectum.
h. h. *oſſa ilei* monſtroſo modo ſibi contigua hic inveniuntur, neque formant plana inclinata, prouti in ſtatu naturali obſervatur, ſed potius utraque oſſa innominata, in lineam rectam flexa, acetabula i. i. ſiſtunt, una cum extremitatibus inferioribus k. in directione plane praeternaturali, i. e. ad *poſticam corporis ſuperficiem* verſa. — Eo ipſo etiam phalanges pedum l. l. directionem acceperunt plane oppoſitam legibus naturae.

Omnibus itaque bene penſitatis his rationum momentis, ex accurata anatomica hujus monſtroſi pueri diſquiſitione patet, infantem hunc in utero materno habuiſſe *ſpinam bifidam*, qua ipſa et praecipue ob oſſis ſacri defectum, oſſa ilei ſibi contigua, et acetabula poſtica facta ſunt, et eo ipſo etiam pedes, genua et phalanges directionem monſtroſam verſus poſticam corporis ſuperficiem acceperunt.

Caput XIX.

Ovulum abortivum gemellorum, sexta circiter hebdomade exacta, nec non uterque Embryo microscopio lustratus.

Cum icone Tabulae IX.

Generosissima Prosc. Petr. B. . . ff, anno aetatis suae XXIIdo ex inopinato et absque ulla causa evidenti, haemorrhagia uteri affecta est, dum duo menses nondum elapsi essent, quibus se gravidam esse censebat. Sanguinis stillicidium augebatur spatio IV horarum, et tandem anno 1796 die 16 Februarii cum plurimis grumis excernebatur ovulum abortivum integrum, in quo *duos embryones* parvos contineri, haud parum miratus sum. Indedi ovulum vasculo aqua repleto, mecum domum tuli ut accuratius examinare possem, et tandem idem in spiritu vini conservavi. Quaecunque itaque observare mihi contigit, curavi, ut exacte delinearentur ab artifice peritissimo Koeck, et ab illo quidem eodemque, qui Tabulas Embryonum humanorum celeberrimi *Soemmeringi* delineavit.

Fig. 1.



Fig. 2. a.




Fig. 3. a.




Fig. 2. b.



Fig. 3. b.





Christ. Koeck del.

Alex. Forów sc

Ovulum abortivum gemellorum

sexta circiter hebdomade exacta, uterque Embryo microscopio lustratus.

Figura I Tabulae IX.

Siſtit ovulum integrum, e quo, inciſione facta, liquor limpidiſſimus evacuatus eſt, intus contento duplici Embryone gemello. Conſpicitur *veſica* forma ovata et *tomentum*, ſeu pars flocculenta vel decidua dicta. Chorion firmior et denſior, cum amnio leviter cohaerebat, quod tamen inter inciſionem potius obſervare mihi licuit, non autem eadem jam facta, in icone adumbrare.

Figura II a.

Siſtit primum embryonem, magnitudine ſua naturali, et quidem anteriori corporis ſui ſuperficie. Embryo perpuſillus vermiculi in modum incurvatus et breviſſimo nec non craſſo funiculo umbilicali praeditus eſt. Cum ovulum et embryones diu ſpiritu vini aſſervare deberem, priusquam delineatio fieri potuit, hinc forſan induratio qualiſcunque artuum facta eſt, qua ipſa magis conſpicua nunc videntur.

Idem Embryo, microſcopio luſtratus, talem formam revera obtulit, qualem ſiſtit Figura II. b. Caput magnitudinem corporis fere adaequat. Oris et naſi rudimenta vix aliqua inveniuntur, ſed oculi admodum conſpicui ſunt, nec non facile diſtingui

poteſt tuber coccygeum. Extremitates ſuperiores tubercula ſiſtunt globoſa, quae magis prominent quam artus inferiores. Idem etiam obſervavit celeberrimus Sömmering. (*) Nollem tamen negare, quod noſtro huic embryoni forſan aliquid monſtroſi aut corrupti inſit, quoniam ille, prouti ſupra commemoravi, in ſpiritu vini diu aſſervatus fuit.

Figura III a.

Siſtit alterum Embryonem, poſtica ſuperficie corporis, magnitudine ſua naturali. Figura III b eumdem Embryonem offert, microſcopio ſubjectum. Facile conſpicitur ſpina dorſi et inprimis tuberculum coccygeum arcuatum carinae inſtar. Artus inferiores ab eodem tuberculo coccygeo a ſe invicem determinantur, et manus ſiniſtrae craſſae rudimentum, admodum conſpicuum, invenitur.

Deeſt nobis hucuſque ovulum abortivum gemellorum ſex hebdomadum, icone adumbratum, et ideo nunc exhibeo exactam delineationem horum embryonum, qualem formam in natura habuerunt. Ardua vero res eſt determinare, num eorum forma quodammodo morboſa vel monſtroſa cauſam abortus ipſius ſuppeditaverit. Mater ſaniſſima et robuſta

(*) *Sömmeringi* Icones embryonnm humanorum Francof. ad Mön. 1799. in folio majori. pag. 6.

fuit, neque prius neque poſtea abortum paſſa eſt, nullamque cauſam hujus abortus proferre potuit. Progreſſu temporis etiam plures infantes, debito graviditatis termino abſoluto, in lucem edidit, et ad hunc diem uſque illibata fruitur valetudine.

Caput XX.

Apoplexia gravidae, septimo mense non lethalis, sed partu praematuro sublata.

Vocatus fui die XXIV Iulii anni 1795 ad aegrotam G— kin, quam apoplectico inſultu graviter decumbentem inveni. Septimo menſe fuit prima vice gravida, foemina XXXV circiter annorum, habitus corporis obeſi et plethorici. Die praecedente percuſſa fuit ex inopinato apoplexia, et quamquam nondum mentis compos facta eſſet, attamen ſubito exorta nunc eſt haemorrhagia uteri. Curam illius geſſit chirurgus, qui die XXIII Iulii venam in brachio ſecavit, enemata, veſicatoria, et remedia evacuantia adhibuit. Ob graviditatem, et ob metuendum partum praematurum, altero inſequente

dire me vocarunt agnati. Pulsum inveni satis fortem et, exploratione instituta, orificium uteri jam ad dimidium apertum, capite infantis parvo praevio. Hinc etiam statim declaravi, partum instare et eo ipso forsan morbum ipsum fausto omine terminari posse, inprimis cum vires constarent. Neque me spes haec fefellit. Eodem die enim aegra, mentis nondum compos, sponte peperit infantem septimestrem mortuum. Placenta facile separata est, et ejecta spatio dimidiae horae, post partum. Ipsa aegrota alto somno sopita, denique post bihorium mentis iterum compos facta est, utique debilis et valetudinaria, attamen penitus tandem convaluit, et ignoravit plane, se partum praematurum edidisse. Causa apoplexiae hujus, quantum ex commemoratione aegrotae, adstantium et chirurgi mihi colligere licuit, quaerenda fuit in dispepsia, et nimia alimentorum crudorum ingurgitatione. (*) Servata est aegrota per hunc partum praematurum, quem benefica natura sponte produxit. —

(*) Plura enim exstant exempla, apoplexiam exortam fuisse, ex dyspepsia, uti ex musto fermentante et pane calido, vid. Breslauer Sammlungen 1723 p. 568. ex fungis comestis in Bartholino i. e. Actis Hafn. II. obs. 116. ex nimiis persicis, Schenk L. III. obs. 24. vid. etiam Fothergill in medical observations and inquiries Vol. VI. et Weikard vermischte Schriften II. p. 11. et alii plures.

Caput XXI.

Apoplexia gravidae et parturientis lethalis, infante vivo per versionem extracto.

Die xxvii Martii anni 1805 ad uxorem gravidam mercatoris anglici D—s a chirurgo R—r vocatus fui, quae mater plurium infantum, ab hesterno die inde, insultu vehementissimo apoplectico affecta, soporosa atque exanimis fere jacuit. Venaesectio, vesicatoria, clysmata, evacuantia et plura ejusmodi remedia, frustra ante aditum meum adhibita fuerunt, nunc vero in consilium cum aliis medicis vocatus sum, ut cum vitae matris nec minima spes adesset, de servando infante ad minimum aliquid constitueretur. Eo ipso tempore aegrota versabatur versus finem octavi mensis graviditatis suae et priusquam apoplexia afficeretur, se motum infantis rite persensisse, commemoravit mihi maritus. Nulli dolores ad partum observabantur et orificium uteri fuit clausum. Constitutum est in consilio medicorum, ut post mortem aegrotae, absque mora statim instituereur a me sectio caesarea, eo scilicet consilio, ut infans, saltem cum

probabilitate qualicunque, forfan fervaretur. Ipfi aegrotae nulla remedia exhiberi potuerunt, quoniam deglutire non potuit, et quia pulfus intermittens mortem brevi tempore inftantem indicavit. Petii itaque domum meam, ut me ad hanc operationem accingerem, fed poft dimidiam horam elapfam iterum ad me mifit maritus. Audivi, ftatim poft abitum medicorum haemorrhagiam uteri factam effe. Exploravi iterum et inveni orificium uteri quodammodo nunc aperiri, quamquam non multum. Ipfa mater vero in continuo fopore verfabatur cum refpiratione anhelofa, cum ftertore et pulfu intermittente. Cum itaque haemorrhagia uteri fatis magna promptiffimum auxilium poftularet, ne infans extingueretur, et cum experientia evictum effet, rariffime infantes poft mortem matris fuperftites manere, (*) conftitui, non expectare deceffum matris, fed annuente ipfa natura, loco fectionis caefareae potius partum *verfione artificiali* facta, folitis naturae viis promovere. Dilatavi itaque gradatim orificium uteri, et vefica liquoris amnii difrupta, pedes infantis quaefivi, et extraxi *infantem vivum*, mater vero, prouti quifcunque vel me non monente praevidere poteft, mentis compos non facta eft, fed ingravefcente refpiratione

(*) Id quod ipfe expertus fum in fectione caefarea, ftatim poft mortem inftituta, die 17 Martii 1803, quem cafum infra accuratius defcribam, Capite XXIV pag. 144.

anhelofa ac ftertorofa, poft duas horas, abfceffit. Infans autem, fingulari fato fervatus, *vivus* manfit, qui vero probabiliter in vita fervari non potuiffet, fi fectionem caefaream, poft mortem matris, inftituiffem.

Caput XXII.

Apoplexia, ex ira subito orta et lethalis, in puerpera, quae per XII dies, post partum editum, sanissima fuerat.

Die XIII Martii anni 1806 felicem ac naturalem partum edidit Elif. Iv. B-r-coff me praefente, hora prima pomeridiana. Foemina fuit XXXVI annorum, mater plurium infantum, quae habitum corporis obefum habuit, nec non plethoricum, et temperamentum quam maxime cholericum. Cum enim filia effet opulenti mercatoris, et quaecunque voluerit, ipfi faufte cederent, quam maxime in furorem et iram prona inveniebatur. Nihilominus tamen partu abfoluto optime valuit, febris lacteae veftigia leviffima, lactis in mammis accumulatio debita, nulli febriles motus, et praeter dolores foli-

tos, ſpatio trium dierum poſt partum, de nullo morboſo qualicunque affectu conqueſta eſt. Die nono poſt partum nulla remedia ſumpſit et ſaniſſima lectum dereliquit. Die decimo amicos et hospites pro baptismate infantis, die xxv Martii habendo, convocare iuſſit, et nunc hunc ipſum diem feſtum domeſticum hilari animo tranſegit, deambulavit et inter prandium cum hoſpitibus multum collocuta eſt dicens, ſe jam diu admodum fauſtum quam nunc puerperium non habuiſſe. Noctu inter xxv et xxvi Martii itidem optime dormivit, et marito commiſit horis matutinis diei xxvi Martii, ut hoſpites iterum adiret et gratias ageret de eo, quod die elapſo baptiſmati intereſſe voluerint. Hora xi ma matutina ejusdem diei, qua maritus abſens erat, maxima iracundia affecta eſt, abſque ratione ſufficiente contra ancillam, et ita quidem, ut verberaret illam eo uſque, donec ipſa ſubito proſterneretur et mentis incompos facta eſſet. Marito redeunte, aegrota jam lecto commiſſa, apoplecticum inſultum perpeſſa eſt. Accedebat loquelae defectus, haemiplegia et febris. Iterum ad puerperam, quam tanquam ſanam neque vidi ultimis his diebus, vocatus fui, et haud parum miratus ſum, in quam ancipiti vitae periculo illam invenirem. Adhibita fuerunt ſtatim veſicatoria, hirudines pone aures,

emeticum, enemata et ſimilia. Ter eodem die illam adivi, veſperi ejuſdem diei conſilium inivi cum aliis medicis, ſed omnia incaſſum. Neque mentis iterum compos facta eſt, ſed die XXVII Martii altero inſequente die, hora matutina octava, obiit diem ſupremum, poſtquam inſultus apoplecticus per XXI horas abſque intermiſſione duraverat.

Patet inde, puerperarum valetudinem, etiamſi XII dies optime valuerunt, ſuſpectam eſſe, et illas ipſas lethali morbo eripi poſſe, ſi animi pathemata ab iis non arcentur (*). Singulari enim animi mobilitati ſubjectae eſſe ſolent puerperae, et plurimi puerperarum morbi vix alium fontem agnoſcunt, praeter illum ex animi commotione, ex ira, terrore et moerore.

(*) Apoplexiae, ex ira ſubito ortae, plura exempla inveniuntur in Actis Naturae Curioſorum vol. V. obſ. 20. in Ephemeridibus Nat. Cur. Dec. III. Anno IV obſ. 103. et Krebs mediciniſche Bemerkungen vol. II. pari ratione ex terrore, in Ephemeridibus Dec. III. Anno V et VI. obſ. 101. Neque venaeſectio in graviditate inſtituta apoplexiam ejusmodi, per accidens in puerperio factam, avertere poteſt. In noſtra enim aegrota, ob habitum corporis obeſum et plethoricum, durante graviditate, vena bis ſecata fuit et nihilominus tamen facta eſt apoplexia.

Caput XXIII.

Paracenthesis per vaginam, in hydrope ascitide cum prolapsu vaginae, bis optimo successu instituta, et utilitas hujus operationis, duplici observatione practica comprobata.

Excellentiſſima Kr . tk . y, filia Principis W—ch—y, matrona quadragenaria, hydrope aſcitide per longum tempus laboravit, et ejusmodi quidem, qui omnia artis ſubſidia reſpuebat. Abdomen latice aquoſo ingenti modo fuit diſtentum, et eo ipſo reſpiratio anheloſa facta. Tandem conqueſta eſt etiam aegrota de tumore inſolito in genitalibus, qui impedivit, quo minus commode lecto inſidere poſſet. Advocatus itaque fui die 15 Septembris anni 1804, et exploratione inſtituta, obſervavi prolapſum parietis poſterioris vaginae externe viſibilem: hic prolapſus autem id peculiaris habuit, quod digito appreſſo non tantum cederet, ſed etiam manifeſtam fluctuationem e colluvie aquoſa retro vaginam contenta tactui offerret. Ipſa aegrota jam diu a variis medicis plurima medicamenta accepit abſque fructu, et, conſilio medico inſtituto, tandem

de eo nunc agebatur, ut aqua, quae neque remediis diureticis neque hydragogis obedivit, punctura evacuetur. Facilis erat conjectura, hunc prolapſum exortum eſſe ex nimia laticis aquoſi accumulatione in peritonaeo, inter vaginam et inteſtinum rectum, quo ipſo illa, ſacci ad inſtar, externe prominens facta eſt. Ut itaque hydropica haec aegrota levamen ex punctura acciperet, et ut etiam incommodum illud locale, quo inſeſſus impediebatur, imminueretur, propoſui medicis praeſentibus, inprimis vero operatori meritiſſimo H— dt, ut paracentheſis in vagina inſtitueretur, cum obſervationibus cl. Watſon (*) evictum ſit, hanc in hoc caſu ſpeciatim indicatam eſſe, et abſque ulla difficultate inſtitui poſſe. Eodem itaque die (15 Septembris) paracentheſis, ope acus triquetrae in vaginam immiſſae, inſtituta eſt. Maxima quantitas laticis aquoſi ſubnigri coloris, facile admodum et cum ſummo aegrotae levamine, evacuabatur. Prolapſus ille, vaginae punctura facta, ſponte diſparuit, neque inter conſolidationem vulneris externi in vagina ſymptomata inſolita morboſa obſervata ſunt.

Hiſce liceat ſimilem ſubjungere obſervationem. Die XVI Decembris anni 1809 a medico peritiſſimo

(*) Vid. *Watſon* in medical communications Vol. I. London 1784.

M—d—w in confilium vocatus fum ad aegrotam SCHEG—w, quae hydrope afcitide per longum jam tempus detenta fuit. Eximium abdominis volumen, nec non cafus ille modo fupra defcriptus, probabilem mihi reddiderunt eumdem morbi ftatum. Hinc itaque aegrotae ftatim quaeftionem propofui, nonne in genitalibus prominentem qualemcunque tumorem fentiret. Aegrota hucufque, ob praepofteram verecundiam medico illi, ipfius curam gerenti, hoc reticuit. Nunc vero id affirmare coacta eft. Quare cum cafus hic maximam analogiam cum praecedente haberet, opinionem meam circa utilitatem paracenthefis vaginae communicavi praefenti experientiffimo Operatori H—b—dt, qui quondam hanc operationem in aegrota Kr—y inftituerat. Exploravimus nunc omnes tumorem illum in poftica pariete vaginae, et paracenthefis eodem die (XVI Decembris) cum lanceola majori ftatim inftituta eft, et fauftiffimo quidem effectu. Mirati vero fumus omnes eximiam quantitatem aquae hac methodo evacuatam, quae plus quam XXX libras adaequabat.

Poftquam ftupenda ejusmodi quantitas laticis ferofi, itidem fufci coloris, evacuata erat, abdomine collapfo, apparuerunt obftructiones et fcirrhofae indurationes in hepate et ovariis, tactu

facile dignofcendae. Has utique neque per paracenthefin vaginae, neque per alia remedia interna refolvere potuimus, et neque haec neque illa aegrota, radicali cura priftinam valetudinem recuperare, fed potius ambo fatis cedere, debuerunt. Nihilominus tamen, paracenthefis minime accufanda eft, fed fummum levamen praeftavit, et faciliori modo et fauftiori fucceffu inftituta eft in vagina, quam fi in abdomine adminiftrata fuiffet.

Hac utraque obfervatione practica probatur itaque, paracenthefin in afcitide foeminarum, praecipue fi prolapfus feu protuberantia in vagina infimul obfervatur, inftitui deberi potius in hoc vaginae tumore, quam in abdomine et quidem ob fequentes rationes: Imo in paracenthefi vaginae non opus eft pertundere acu triquetra mufculos abdominales, fed tantum vaginam cum peritonaeo. Neque vafa majora fanguifera hac operatione laedi poffunt, neque haemorrhagia metuenda eft. IIdo Locus declivior eft in vagina, e qua major quantitas laticis aquofi abfque ulla noxa et faciliori ratione evacuari poteft, quam fi paracenthefis in abdomine inftitueretur. IIItio denique, punctura in vagina facta, prolapfus vaginae fponte ceffat, et incommodum illud, quo infidere non poffunt aegrotae, per fe tollitur.

Praeter cl. *Watſon* hanc operationem in vagina inſtituit etiam D. *Nöthig* (*), Medicus Miltenbergenſis, optimo cum ſucceſſu, et quidem in gravida, quae aſcitide affecta erat.

Caput XXIV.

Sectio caesarea in gravida, statim post mortem, instituta.

Die XVII Martii anni 1803 hora veſpertina nona in noſodochium puerperarum orphanotrophei Caeſarei-Moſquenſis vocatus ſum, quia eodem tempore gravida quaedam, ſemel ac ſimul abſque partus incipientis prodromis, repentina ac inopinata morte extincta fuit. Abſque ulla mora adii et inveni mulierem, nono graviditatis menſe incipiente praegnantem, quae habitum corporis habuit cachecticum et macilentum. In cauſam mortis inquirens audivi, illam neque de doloribus ad partum, neque de ullo affectu quodam morboſo ante conqueſtam eſſe. Verum enim vero, dum cum aliis

(*) Vid. *Blumenbach* mediciniſche Bibliotheck III. Band. pag. 152. nec non *Ejuſdem* II. Band. p. 344. quo caſus *Watſoni* accuratius dijudicatur.

gravidis in nofodochio deambularet, refpirationem fenfit magis magifque anhelofam et fic fubitanea morte e vivis erepta eft. Conftitui ftatim fectionem caefaream inftituere, legis regiae a Numa Pompilio conditae haud immemor, eo fcilicet confilio, ut forfan hac operatione vita infantis fervari poffet. Eodem vefperi hora x ma hanc fectionem in praefentia D. T—g et W—tfch, fecundum regulas artis, in *linea alba* inftitui. Uteri color fuit intenfe ruber et vafcula, fanguine adhuc referta, afpectum pulchrum ac infolitum obtulerunt. Dereliquo uterus integer inveniebatur, et nulla, prouti in initio fufpicatus fum, ruptura, neque orificium uteri apertum, fed potius claufum, et fegmentum ejus inferius adhuc fatis craffum obfervabatur. Placenta in antica fundi fuperficie praevia fuit, et caput obliquum, ad dextrum os ilei verfum. Velamenta ovi ftatim difrupfi et pedibus extraxi puerum, aetatis praematurae, fed mortuum, qui, nullis mediis adhibitis, in vitam revocari potuit. Tota operatio fpatio quinque minutarum abfoluta eft, fed incertum manet, num infans potuiffet fervari vivus, etiamfi licuiffet eodem ipfo momento, quo mater extincta eft, adeffe et ftatim fectionem fufcipere, prouti ex infra dictis facile patet. Nihilominus tamen inquirendum fuit in mortis caufam hujus gravidae. Altero

itaque infequente die XVIII Martii, hora matutina nona; in praefentia plurium medicorum orphanotrophei, inftituta eft fectio anatomica cadaveris, et inventus eft *polypus cordis*, fatis firmae compagis; quo ipfo probabiliter haec foemina, per fe jam debilis ac cachectica, fuffocata fuit. Praeter illum enim, nullum aliud vitium organicum in corpore obfervabatur, neque partus incipientis minima veftigia, et partes generationis negotio dicatae, in ftatu perfectae integritatis, deprehenfae funt.

Lege regia, jam antiquiffimis temporibus, fancitum eft, *ne mulier praegnans mortua fepeliatur, antequam foetus illi excidatur*, imo necis reus hac lege judicatur, qui contra fecerit, quia fpem animantis cum matre peremiffe videtur (*).

Quamquam ideo fectio caefarea in gravida mortua femper inftitui debeat, ne injufti fimus in foetum, qui vivus in fepulcro poffet fuffocari, nifi hac operatione nihil intentatum relinquere voluiffemus ad ipfius confervationem. Verum enim vero, piis his defideriis, experientia tefte, rariffime refpondet hyfterotomiae anceps fucceffus. Quotief-

(*) Vid. *Kaltfchmidt* Progr. de neceffitate exfecandi foetum ex gravida mortua. Jenae 1752.

et *Ejufd.* Progr. de neceffitate partus caefarei inftituendi in omnibus gravidis mortuis Jenae 1760.

cunque enim hucufque, poft mortem, inftituta fuerit, infans vix ac ne vix quidem vivus fervari potuit. Ut alios auctores taceam, experientiffimus *Mauriceau*, hanc pluries abfque fucceffu inftitutam effe, vidit. Commemoravit (*in obfervations fur la groffeffe et l'accouchement des femmes.* *Paris* 1738 Vol. II. obf. 26. pag. 23) hiftoriam partus difficilis et funefti, quem neque ille ipfe, neque *Chamberlenius* (tunc Parifiis degens) per operationem manualem et inftrumentalem, terminare potuit. Tandem, poft mortem hujus parturientis, cl. *Mauriceau* inftituit operationem caefaream. At enim vero infans, eadem extractus, fuit mortuus. *Ibidem* obf. 251. pag 206 invenitur hiftoria parturientis, inter ipfos partus dolores morte fublatae, quia ruptura uteri facta eft. Infans, in abdominis cavo inventus, itidem fuit mortuus. In gravida pleuritide affecta et fub initio noni menfis extincta, (vid. *Ibidem* obf. 315. pag. 260) operatio fperatum non habuit eventum, quoniam infans non potuit vivus fervari. Neque *in obferv.* 593. p. 488 fauftior fuit fucceffus. Mulier haec praegnans, feptimo graviditatis menfe, febri continua atque angina e vivis erepta eft. Sectio caefarea *ftatim abfque mora* eodem fere mortis momento inftituta fuit. Infantis vero vita non potuit confervari, et vix ac ne vix quidem qualiacun-

que ejus veſtigia in corde, leviter palpitante, apparuerunt.

Caput XXV.

Convulsiones epilepticae in gravida, quae per XVI horas continuarunt, et artificiali infantis seximestris extractione feliciter sublatae sunt, remanente per biduum hujus puerperae mentis alienatione.

Eliſ. Alexandr. G—we, mater plurium liberorum et ſex menſium gravida, abſque cauſa manifeſta et ex inopinato quidem convulſionibus epilepticis affecta eſt media ipſa nocte inter VI et VII diem Novembris anni 1796. Aegrota, alioquin ſana, veſperi ſolito more lectum petiit, et eidem dormienti motus convulſivi ſupervenerunt. Ex clamore, eodem momento ab uxore edito, expergefactus eſt inter ſomnum maritus, qui chirurgum O—n ad ſe vocari juſſit. Hic adiit aegrotam hora octava matutina (die VII Novembris), et fruſtra aegrotae pulverem exhibere tentavit, quem, ob triſmum

maxillae inferioris, neque lingua excipere, neque deglutire potuit. Motus vero epileptici per totum fere hunc diem continuarunt, brevi admodum temporis intervallo intermedio, quo ceſſarent, et quovis quandrantis circiter horae ſpatio iterum rediit eclampſia. Quae cum ita eſſent, tandem, hora quinta pomeridiana, in auxilium aegrotae vocatus ſui. Obſervavi, paroxyſmos hos epilepticos haud interrupta ſerie continuare, et, ut apoplexiae periculum in aegrota plethorica averteretur, ſtatim venam ſecare juſſi, adhibitis eodem tempore etiam clyſmatibus ex decocto valerianae, moſcho et opio (*). Verum enim vero inde nullum levamen allatum eſt, et, exploratione facta, inveni orificium uteri penitus clauſum eſſe. Inquirenti mihi accuratius in cauſam morbi commemoravit denique maritus, uxorem die elapſo eſculenta varia dyſpepta, cucumeribus et poſca parata, comediſſe. Quare ob inſtans vitae periculum a re haud alienum fore arbitratus ſum, abſque mora exhibere emeticum.

(*) Venaeſectionem et enemata in convulſionibus gravidarum praecipue commendat *Robert Bland* in London medical Iournal Novembr, 1781. Videantur etiam de hoc morbo *Denmann* Eſſay on puerperal convulſions. London. 1768. *Alix* obſerv. med. Faſc. II. p. 67. *Schafonſky* diſſ. de gravidarum, parturientium et puerperarum convulſionibus. Argent. 1763. *Gehler* diſs. de eclampſia parientium. Lips. 1776. et *Hoffmann* über die Urſachen und Heilart der convulſionen bey Schwangeren und Gebaehrenden. Frankf. 1795.

Solutio itaque sex granorum tartari stibiati in quatuor aquae unciis a me praescripta est, ita ut quovis x minutarum spatio cochlear mensale ipsi exhiberetur. Maxilla inferior, superiori firmiter adducta, non absque difficultate cochleari interposito debuit deduci, et eo ipso os aperiri. Non sine voluptate quadam observavi, aegrotam ingestum remedium deglutire. Continuavi itaque propinare successive idem, et hora octava vespertina tandem, nauseam et vomituritionem in aegrota subortam vidi. Ab hoc ipso momento inde convulsiones cessarunt, et post *stadium epilepticum*, quod per XVI horas duraverat, secutum est *stadium soporosum*, quo in stupore aegrota nostra satis longum tempus transegit. Quamquam convulsiones non redirent, attamen aegrota in maximo vitae discrimine versabatur, et sopor ille, cum respiratione anhelosa, vix ac ne vix quidem pro fausto omine haberi potuit. In hoc ancipiti casu felix eventus a *partu*, tantum *arte accelerato*, expectari potuit. Exoptata admodum mihi igitur fuit haemorrhagia uteri sponte a natura facta, hora XI ma matutina die VIII Novembris, praecipue cum nunc primum observarem, orificium uteri ita aperiri, ut apex digiti immitti possit. Annuente itaque natura ipsa, constitui, os uteri sensim sensimque per artem dilatare,

digitis in conum faſtigiatis et eidem illatis. Quoniam ingens haemorrhagia uteri promptiſſimum juvamen, vitae tuendae gratia, neceſſarium redderet, abſque mora nunc, velamenta ovi manu diſrupſi, pedes infantes quaeſivi, quem in ſitu tranſverſali inveni, et hoc modo, *verſione inſtituta,* infantem tenellum ſex menſium et exanimem, abſque magna difficultate et brevi tempore, manibus extraxi. Secundinae itidem abſque mora excretae ſunt, et haemorrhagia uteri penitus ceſſavit. Continuavit tamen mentis alienatio ac ſopor ad horam ſecundam matutinam uſque die IX Novembris. Nunc tandem mentis compos facta eſt puerpera noſtra, quae, nec minimae rei per biduum factae memor, ignoravit plane, neque credere voluit, ſe partum edidiſſe. In ſtatu puerperii maxima utique ejus debilitas obſervabatur, pallor faciei et virium languor. Verum enim vero nullum inſolitum habuit morbum, et ita convaluit, ut, biennio elapſo, iterum partum naturalem et gemellorum quidem, fauſtiſſimo ſucceſſu, ederet. Poſt obitum mariti, progreſſu temporis, ſecundum matrimonium cum Excellentiſſimo L—g—ſky iniit, et nunc adhuc poſt XIV annos, dum haec ſcribebam, integra fruitur valetudine.

Quibus omnibus itaque rite expofitis, patet, ftadium epilepticum continuatum effe per XVI horas, ftadium vero foporofum per XXX horas, ita ut 46 horae elapfae effent, vel biduum, priusquam mentis compos facta fit aegrota noftra, graviffimo ac periculofo ejufmodi morbo vexata.

CAPUT XXVI.

CONVULSIONES IN PARTU, FELICITER SUBLATAE, POSTQUAM INFANS, MORTUUS ATQUE PUTRIDUS, FORCIPE EXTRACTUS FUIT.

Die x Martii anni 1802, parturiens quaedam in nofodochio puerperarum orphanotrophei Caefarei-Mofquenfis convulfionibus epilepticis correpta eft. Graviditatis terminus debitus abfolutus fuit, caput praevium, et dolores ad partum continuarunt alternatim quafi cum paroxyfmis convulfivis. Inter quemcunque enim dolorem ad partum abdomen durum factum eft, et aegrota fingularem ejulatum edidit. Tandem, orificio uteri penitus aperto, vi dolorum caput in mediam pelvis cavitatem devo-

lutum eſt, et liquor amnii ex diſrupta ſponte veſica eſtluxit. In apertura vero inferiori pelvis caput incuneatum per plures horas moram egit, et convulſiones epilepticae, quavis quadrante hora redeuntes, haud interrupta ſerie continuarunt. Advocatus, ob inſtans vitae periculum, ſtatim capiti praevio applicavi forcipem Levretianam et abſque difficultate extraxi infantem, qui tamen fuit mortuus et putredine conſumptus. Partu abſoluto, exhibitum eſt puerperae julapium moſchatum, cum liquore cornu cervi, et nunc convulſiones ſenſim ſenſimque ceſſarunt. Aegrota quamquam maxime eſſet debilis, tamen penitus convaluit, ejuſque hiſtoria morbi diario noſocomii inſerta eſt ſub NO 95.

Caput XXVII.

Convulsiones inter partum gemellorum, quorum alter forcipe, alter versione, uterque vivus, extractus est, salva matre puerpera.

Die XXVII Septembris anni 1809 hora matutina nona ferva quaedam, in domo Excellentiſſimi D—ff—w degens, nono graviditatis menfe abfoluto, inter ipfos partus dolores convulfionibus epilepticis affecta eft. Advocatus ftatim, obfervavi, ingens abdominis volumen in foemina juveni, primipara, atque plethorica. Caput infantis fuit praevium, fed in fuperiori adhuc pelvis apertura, et orificium uteri vix ac ne vix quidem apertum. Venam fecare juffi, et cum aegrota deglutire poffet, exhibui infufum valerianae cum mofcho, facharo intertrito. Continuarunt per integrum fere diem dolores ad partum, alternatim cum convulfionibus. Nihilominus tamen caput, nixibus validis editis, vefperi medium pelvis cavum explevit, et orificium maxima ex parte apertum eft. Quare cum motus epileptici continuarent, hora octava vefpertina

forcipe extraxi infantem vivum ex utero parientis, quae mentis nondum compos erat. Nunc tandem certior factus ſum, alterum adhuc ineſſe fratrem gemellum brachio praevium, quem adeoque verſione abſque mora itidem eduxi, et ſanum ac vegetum agnovi. Convulſiones ceſſarunt, ſed ſtadium ſoporoſum per integram noctem continuavit, quare altero die XXVIII Septembris, horis matutinis, dum aegrotam iterum adirem, veſicatorium inter ſcapulas applicavi. Sopor, ad veſperem hujus diei, in ſomnum placidum mutatus eſt, et reſpiratio anheloſa liberior facta. Mens nondum conſtabat. Die XXIX Septembris, hora pomeridiana quinta, ſemel ac ſimul iterum convulſiones factae ſunt, ſed ſemel tantum. Adſtantes mihi commemorarunt, hoc inde forſan factum eſſe, quoniam puerpera ejulatu infantis perterrefacta eſſet. Huic paroxyſmo epileptico inſecutus eſt de novo ſopor, et die XXX Septembris febris cum ingenti calore. Exhibui emulſionem camphoratam, quam bene deglutire potuit, et ad veſperem duo veſicatoria ad ſuras applicata ſunt. Die 1 Octobris reſpiratio liberior facta, et mentis quodammodo compos facta eſt per breve tempus, ſiquidem aliquot, verba pronunciare, et potum quaerere potuit. Continuavi mixturam camphoratam, cui

addidi moſchum et naphtam vitrioli, nec non juſſi, ut juſculum carnis ipſi exhiberetur et vinum generoſum. Die tandem 2 Octobris, (id eſt *ſeptimo die*, a primo morbi initio inde) ſtupor ille penitus ceſſavit, et nunc demum mentis compos facta puerpera haud parum mirata eſt, ſe partum et duplicem quidem, gemellorum vivorum, edidiſſe. Adhibitis nunc remediis fragrantibus et roborantibus, uti decocto valerianae, ſerpentariae et tandem corticis peruviani, puerpera noſtra penitus convaluit. Alter gemellorum, forcipe eductus, neſcio quo fato, poſt 5 dies eclampſia affectus, e vivis ereptus eſt, alter vero, verſione pedibus extractus, vivus manſit, et ad hunc uſque diem ſanus ac vegetus eſt.

Caput XXVIII.

Convulsiones et motus epileptici, inter partum gemellorum lethales, quamquam uterque infans versione extractus fuit.

Minus fauſtum eventum, illo modo commemorato, habuit partus in virgine nobili....., clandeſtino amore impraegnata, ad quam die xv Januarii anni 1805 vocatus fui. Graviditatis terminus novemmeſtris rite abſolutus eſt, et partus ipſe initium coepit, dum de motibus febrilibus, de calore ac horripilatione, et de viſus obnubilatione periodica, conquereretur miſera aegrota. Subito hiſce prodromis eclampſiae ſupervenerunt veſperi convulſiones epilepticae, brevi intervallo temporis intermedio, majori vehementia redeuntes. Adeuns parturientem juſſi, ut vena ſecaretur, ut clyſmata primo evacuantia, deinde antiſpaſmodica, nec non medicamenta interna, huic fini apta, adhiberentur. At enim vero, omnia incaſſum. Aegrota enim nihil deglutire potuit, reſpiratio anheloſa liberior non facta, pulſus obſervatus eſt undulans, atque intermittens, animus nunquam conſtans, et convulſiones

abſque ulla intermiſſione non ſolum continuarunt, ſed etiam majori vehementia, omni quadrantis horae ſpatio, redierunt. Etiamſi ſtatus aegrotae revera jam conclamatus eſſet, attamen in ancipiti hoc caſu tentare volui, nonne partu, ipſo arte accelerato, convulſionibus obex poni poſſet et qualicunque ratione vita aegrotae, quam per plures annos novi, ſervari. Illa dum varia remedia per integram noctem fruſtra adhibita eſſent, hora matutina octava diei inſequentis XVI Januarii inivi conſilium cum alio obſtetricatore mihi amiciſſimo T—g, et unanimi ſuffragio conſtitutum eſt, ut partus artificialis verſione acceleratus (accouchement forcé) ſaltem tentaretur, tanquam unicum ac ultimum remedium, quo forſan vita prolis et matris ſervari poſſet. Statim itaque et abſque mora in praeſentia ejus, et generoſiſſimi ....l.... nec non chirurgi Galli, me ad operationem accinxi, quamquam de fauſto ipſius eventu, ob ſtatum aegrotae conclamatum, quam maxime dubitarem. Orificium uteri inveni vix ad magnitudinem apicis digiti indicis apertum. Dilatavi idem, immiſſo digito cum indice ſucceſſive etiam medio, annulari ac auriculari, et tandem integra manu, in conum faſtigiata. Situs infantis fuit praeternaturalis, hinc adeoque, diſruptis velamentis

ovi, pedes ejus quaesivi, et iisdem prehensis, absque difficultate extraxi puerum mortuum. Alterum adhuc inesse observavi gemellum, quem, eadem ratione versione instituta, eduxi *vivum.* Mater autem puerpera, post partum absolutum, mentis compos minime facta est. Pulsus observabatur idem intermittens, nec non respiratio anhelosa et stertorosa: convulsiones, nulla arte sopiendae, continuaruntper integrum diem, et tandem noctu misera haec aegrota diem obiit supremum. Puer vero gemellus, aetate minor, vivus mansit, et sanus ac vegetus orphanotropheo-Caesareo traditus est, die XVIIImo Januarii.

Difficile utique est determinare causam, qua convulsiones ejusmodi vehementes, nullis artis praesidiis sopiendae, exortae essent. An ab enormi abdominis expansione in graviditate gemellorum? an ab animi pathematibus? Audivi enim ab adstantibus, miseram hanc aegram, alioquin bonae indolis virginem, durante graviditate, moerore et tristitia summa vexatam fuisse.

Caput XXIX.

Convulsiones et motus epileptici, partu praematuro septimestri edito, sublatae in parturiente, quae tumorem oedematosum in hypogastrio habuit.

Die XXVI Novembris anni 1802 ad uxorem bibliopolae G—r vocatus fum. Septimo nunc graviditatis menfe verfabatur, et praefens chirurgus k—s narravit mihi, aegrotam tumorem habere oedematofum circa lumbos, partes genitales nec non pedes, et ante feptem ab hinc dies, de dolore, quafi pleuritico in latere finiftro, conqueftam effe. Adhibuit ille venaefectionem, veficatoria nec non varia medicamenta antiphlogiftica, non fine fructu. Hoc ipfo vero die (XXVI Novembris), horis matutinis, ex inopinato convulfionibus et motibus epilepticis affecta eft. Accedebant autem his dolores ad partum veri, et, iifdem ingravefcentibus, inter convulfiones ipfas et, mentis alienationem, partum edidit praematurum infantis feptem menfium, vivi quidem, qui vero, ob praematuram aetatem fuam, brevi tempore poftquam lucem afpexit, e vivis

iterum ereptus eſt. Convulſiones, poſt partum editum, bis redierunt, longiori intervallo inter utrumque paroxyſmum epilepticum intermedio, quam ante partum. Sopor autem et mentis hallucinatio continuarunt ad horam ſextam veſpertinam uſque ejuſdem diei. Tunc demum aegrota, mentis compos facta, ignoravit plane ſe partum edidiſſe. Adhibitis remediis analepticis, antiſpaſmodicis et roborantibus, tandem penitus convaluit. Audivi tamen ab aliis, eamdem puerperam, quadriennio circiter elapſo poſtea, noviter convulſionibus inter partum correptam, atque iis ipſis, praematura morte extinctam eſſe, quo tempore vero non meae curae, ſed aliorum medicorum, commiſſa erat.

Caput XXX.

Convulsiones statim post partum, ex alimentis crudis assumptis, ortae, et emetico exhibito, sublatae.

Die XIX Maji anni 1797 tempore vefpertino ad uxorem fabri aurarii H—ff—g vocatus fui, quae hora meridiana ejufdem diei partum naturalem ac fauftum edidit. Secundinae facile ac fponte folutae funt, et puerpera faniffima effe videbatur. Elapfo vero trihorio circiter, poft partum editum, ex inopinato convulfionibus correpta eft epilepticis, quare obftetrix praefens ftatim me advocavit. Narrat mihi maritus, uxorem die praecedente multa efculenta comediffe dyfpepta, et iis ipfis naufeam fpontaneam pluries percepiffe. Quo facto ftatim exhibui emeticum ex tartaro ftibiato, nec non clyfmata evacuantia et antifpafmodica. Convulfiones, prima emefi facta, ftatim ceffarunt, fed ftadium foporofum per XVII horas continuavit, quo tempore tandem mens penitus rediit. Aegrota utique debilis, durante puerperio, nullo alio infolito morbo vexabatur, et quamquam primis diebus fauftum ejufmodi eventum

non expectarem, optime convaluit. Eadem poſtea, a convulſionibus plane immunis, plures alios etiam in lucem edidit infantes, et adhuc integra fruitur valetudine.

Caput XXXI.

Convulsiones statim post partum, in puerpera debili ac valetudinaria, ex uteri haemorrhagia ortae, et eadem imminuta, illico sublatae.

Uxor illuſtriſſimi Principis Ioannis Serg. a M—ſky, foemina debilis ac macilenta, ſingulari atque inſolito faciei pallore praedita, per IV jam annos diarrhoea habituali laboravit, quae omnia remedia medicorum illorum reſpuebat, qui hic Moſquae et Petropoli illius curam geſſerunt. Nihilominus tamen gravida facta eſt, et nunc parturiens, me die XXV Februarii anni 1804 in auxilium vocavit. Caput infantis obſervabatur praevium, dolores ad partum ſatis efficaces, et nixus admodum validi facti ſunt, ut ſpatio trium circiter horarum

absque ulla difficultate filiam in lucem ederet, quam, a longo tempore inde, habuit desideratissimam. At enim vero, primo quadrantis horae spatio, inter secundinarum spontaneam solutionem, enormis facta est uteri haemorrhagia, et eodem ipso momento, quo pleno rivulo sanguis nimia quantitate profiliit, ex inopinato correpta est — *convulsionibus epilepticis.* Quo facto insecutum est stadium soporosum, ultra bihorium durans. Inter ingentem hanc metrorhagiam applicavi acetum abdomini et interne exhibita est tinctura cinnamomi, nec non acidum vitriolicum, et deinde analeptica fragrantia, ex moscho, naphta et opio. Hisce remediis sanguinis fluxus paulatim paulatimque imminutus est, et puerpera, post tres horas, iterum mentis compos facta. Ob debilitatem corporis habitualem in graviditate, et auctam in partu, febri nervosa vero graviter decubuit, per tres fere hebdomades, et non sine maxima cura ac difficultate a me in vivis servari potuit. Convaluit tandem & progressu temporis die XVI Aprilis anni 1809 iterum peperit, ipsa infantem hunc lactavit, et, quod notari meretur, diarrhoea illa habituali, penitus sublata, nunc meliori, quam unquam, fruitur sanitate. —

Caput XXXII.

Convulsiones statim post partum, in parturiente robusta, ex subitanea sanguinis, inter secundinarum solutionem, depletione, ortae.

Excellentiſſima ac generoſiſſima *Cath. Alex. K-l-gr-v-y* die XVII Aprilis anni 1808, hora matutina ſecunda, partum edidit facilem ac naturalem. Foemina fuit robuſtae conſtitutionis, ſtaturae formoſiſſimae ac proceris, et faciem ſemper habuit floridam, atque rubedine tinctam. In ipſa hac, quae jam quarta fuit, graviditate integra fruebatur valetudine, et ipſe partus facilis ſpatio quatuor horarum ſponte abſolutus eſt. At enim vero, eodem edito, ante et inter ſecundinarum excluſionem, haemorrhagia uteri facta eſt enormis, animi deliquium, et artuum convulſivi motus epileptici. Nunc me in auxilium vocavit obſtetrix. Adeuns illam puerperam hora quarta matutina, inveni eam in ſtatu ſoporoſo, cum pulſu debili ac parvo, facie pallida et reſpiratione anheloſa. Obſtetrix H—r monſtravit mihi magnam ac enormem ſanguinis excreti quantitatem, partim fluidi, partim grumoſi. Exhibui

excitantia volatilia, ſpirituoſa, inprimis vero opiata refracta doſi, et tandem hora ſexta matutina puerpera haec, quae alto ſomno ſopita jacuit, expergefacta eſt. In puerperio lactis ſecretio cum difficultate, ob virium defectum, abſolvebatur, imo febris continua accendebatur. Verum enim vero, poſt duas hebdomades, penitus convaluit, et progreſſu temporis poſtea iterum feliciter peperit.

CAPUT XXXIII.

HISTORIA PARTUS, CAPITE INFANTIS PRAEVIO, ET FUNICULO UMBILICALI EODEM TEMPORE PROPENDENTE, QUI A NATURA, VIVO MANENTE INFANTE, TERMINATUS EST.

Die III Novembris anni 1801 ad uxorem magiſtri muſices M—li, media ipſa nocte, vocatus fui. Parturiens haec dolores ad partum habuit frequentes et validiſſimos, quibus ipſis, caput infantis praevium, et bene locatum ad medium pelvis cavum, per breve tempus devolutum eſt. Verum

enim vero, una cum capite, pone ſiniſtrum ejus latus, funiculus umbilicalis prolapſus eſt. Quare obſtetrix M—g—f, abſque mora, meum auxilium imploravit. Adii parturientem, et inveni caput jam in inferiori pelvis apertura, et funiculum praevium, quodammodo adhuc pulſantem. De eo jam agebatur, ut *partus acceleretur ſtatim*, priuſquam vita infantis manifeſto periculo exponeretur. Cum caput in exitu jam pelvis inventum ſit, verſio non potuit, neque debuit, inſtitui. Quare, ob inſtans vitae periculum infantis, conſtitui *abſque mora* applicare forcipem, et hac ratione partum accelerare. Iuſſi itaque, ut aqua tepida exhiberetur, pro forcipe, ob hyemale frigus, calefacienda.

At enim vero dum ad operationem, ſecundum regulas artis tali ratione inſtituendam, me accingerem, dolores ad partum vehementiſſimi et conquaſſantes continuarunt, quibus caput infantis praevium, una cum funiculo propendente, validiori nixu edito, protruſum, et ipſe infans in lucem editus eſt. Hic utique in ſtatu aſphyxiae, cum facie rubicunda ac fere livida, in mundum ejectus eſt: verum enim vero balneo tepido, aquae frigidae in ſcrobiculum cordis inſtillatione, et aëris inflatione, in vitam revocatus eſt, et adhuc bene valet.

CAPUT XXXIV.

SIMILIS EIUSMODI CASUS, IN FOEMINA MULTIPARA, QUAE PELVIM HABUIT AMPLAM.

Similem ejufmodi cafum obfervare mihi contigit etiam anno 1800 in excellentiffima A. A. Mur—w. Partus erat naturalis foeminae multiparae, et caput infantis ante aditum meum jam in exitu pelvis verfabatur una cum funiculo umbilicali, ad latus ejus propendente et pulfante. Cum ultimum ftadium partus adeffet, et dolores conquaffantes caput jam perinaeo apprimerent, neque de verfione fufcipienda, neque de forcipis applicatione, cogitare potui, et juffi tantum obftetrici M—z, ut perinaeum molli manu fuftentaret et funiculo parceret. Quo facto, elapfo vix quinque minutarum fpatio, violentiori nixu edito, caput una cum funiculo, per pelvim fatis amplam, libere tranfiit, et infans vivus fponte in lucem editus eft, qui neque afphyxiae fpeciem obtulit, fed faniffimus inventus eft.

Patet itaque his obſervationibus practicis, infantem poſſe in partu vivum manere, quamquam funiculus umbilicalis praevius ſit una cum capite, dummodo non diu idem in pelvis apertura inferiori moram agat, et partus ipſe *cito* abſolvatur.

Caput XXXV.

Minus faustus ejusmodi partus pro infante eventus in foemina pusilla.

Verum enim vero minus fauſtum eventum pro infante habuit partus foeminae nobilis, ſtaturae corporis puſillae, C. I. R—tſch. Haec primum partum naturalem (filiae vivae) edidit die XIX Decembris anni 1807. Obſervavi jam tunc, pelvim ejus in apertura ſuperiori eſſe ampliorem, in inferiori vero anguſtiorem, quoniam in exitu caput diu moram ageret. Nunc vero ſecunda vice gravida, die XXVI Octobris anni 1808, quamquam nullos alios partus inſtantis prodromos ſentiret, ex inopinato liquoris amnii effluxu perterrefacta eſt. Voluit ſtatim induſium mutare parturiens, et hinc

diutius pedibus inftare coacta fuit. Quo facto, fitu corporis erecto et primo fuperveniente dolore, una cum capite naturaliter praevio, *funiculus umbilicalis prolapfus eft.* Advocatus jam eo tempore fui, quo caput in exitu pelvis verfaretur, et inveni funiculum e finu genitalium propendentem, in quo pulfatio arteriarum umbilicalium vix ac ne vix quidem obfervari potuit. Partus exitus confirmavit prognofin minus fauftam, quam in initio marito communicaveram. Puer enim, qui facile et breviffimo temporis intervallo in lucem quidem editus eft, fuit *mortuus*, et nullis artis mediis in vitam revocari potuit. Mater convaluit.

Caput XXXVI.

Funiculus umbilicalis, cum capite in eodem partu praevius, infante vivo, forcipe extracto.

Die XV Februarii anni 1808 ad mulierem, quae in domo Excellentiffimi I. P. V—b—w degebat, vocatus fui. Foemina haec quadragenaria pluries partum felicem quondam edidit. Nunc vero ille

infolito more retardatus eft, et cum funiculus umbilicalis eodem tempore praevius inveniretur, ad me, nec non ad alios obftetricatores, mifit cum parturiens, tum inprimis ejufdem domi herus. Cum inter reliquos primus illam adirem, et caput in exitu pelvis, cum funiculo propendente et adhuc pulfante, invenirem, applicavi ftatim forcipem obftetriciam, et abfque difficultate extraxi infantem *vivum* hora vefpertina octava. Ille, ftatim ac lucem afpexit, digitum indicem ori admotum avide fugebat, neque afphycticus fuit, fed fanus ac vegetus manfit, et puerpera ipfa, felici puerperio reftituta, penitus convaluit, cujus rei teftes fuerunt obftetricatores duo T. & W. qui, peracta jam operatione, puerperam hanc adierunt.

Vel me non monente, patet itaque, illo in partu, quo caput infantis jam in exitu pelvis haeret, faciliori ratione ac fauftiore fucceffu *forcipem applicari*, quam fi aliquis caput repellere, et per ambages pedes infantis, pro verfione inftituenda, quaerere vellet. (*)

(*) De funiculo in partu propendente videatur: *Frenfdorf* difs. de partu praeternaturali ac difficili, ob procidentiam funiculi. Argentor. 1741. nec non *Buchwald* difs. de partu difficili ex funiculo umbilicali. Hafniae 1749. *Ruhland* difs. de partu praeternaturali ac difficili, ob procidentiam funiculi umbilicalis juxta caput. Argentor. 1775.

Caput XXXVII.

Funiculus umbilicalis praevius cum abdomine infantis. Partus versione, et infantis vivi extractione, feliciter terminatus est.

Foemina nobilis Aleon. *Matw.* R—chm—ff, hora matutina quarta, primos ad partum dolores percepit. Adfuit obftetrix non admodum perita et vetula Str — er, quae quamquam caput praevium non inveniret, tamen credidit cunctando et expectando partum faufto modo terminari poffe. Eo ipfo factum eft, ut explorationem, quam faepiuscule inftituere debuiffet, negligeret Hora tandem xima matutina die 1 Januarii anni 1802 funiculus umbilicalis, e finu genitalium prominens, ex inopinato prolapfus eft. Nunc denique cum obftetrix ipfa, tum praefens Protochirurgus M—j—r, auxilium meum imploravit. Adeuns puerperam, inveni pulfationem in funiculo umbilicali fatis adhuc manifeftam, et infantis fitum tranfverfalem, abdomine ad os uteri converfo. Periculum pro vita infantis fuit in mora. Quare, ftatim poft aditum meum, pedes infantis in finiftro matris latere in-

ventos manu mea dextra attraxi, et puerum eduxi vivum, qui ad hunc usque diem fausta fruitur sanitate. Puerpera brevi tempore penitus convaluit, neque de insolito quodam affectu morboso, post partum hunc editum, conquesta est.

Caput XXXVIII.

Placenta in orificio uteri praevia, cum haemorrhagia uteri enormi. — Partu per versionem arte accelerato, mater servata est, et infans septimestris extractus.

Generosissima Elis. Fed. Z—b—ff, foemina XXII annorum, habitus corporis robusti et staturae admodum procerae, ut viraginis nomine salutari posset, secunda vice gravida facta est versus finem anni 1799. Ab initio sexti graviditatis mensis inde, *haemorrhagia uteri* ex inopinato quidem et absque ulla ratione manifesta nunc vexabatur. Adhibitis remediis variis, uti venaesectione, regimine debito, acidis mineralibus interne propinatis, et externe aceto abdomini applicato et s. p. utique

ſubinde ceſſavit metrorrhagia, inſequente intervallo libero qualicunque aliquot ſeptimanarum; at enim vero deinde iterum majori impetu rediit haemorrhagia uteri. Die autem XXI Iulii anni 1800 hora matutina decima tanta cum vehementia tertia vice factus eſt ſanguifluxus, ut librae aliquot ſanguinis ſinceri ſemel ac ſimul excernerentur. Facies aegrotae hujus robuſtae, quondam florida, una cum labiis oris, nunc pallida evaſit, et pulſus inſimul debilis; quibus ſupervenit tandem animi deliquium. Nihilominus tamen pleno rivulo ſanguis continuo excernebatur.

Cauſa, prouti jam ſtatim ab initio praevidere potui, erat *placenta in orificio uteri praevia.* Exploratione enim inſtituta, nulla pars alia diſtingui potuit, praeter hanc, quae per orificium, ad magnitudinem apicis indicis apertum, tanquam corpus molle tactui oblata eſt. Periculum fuit in mora. Hinc, cum omnia alia remedia fruſtra tentata eſſent, orificium uteri arte dilatare, conſtitui. Sanguis pleno rivulo ex apertis placentae praeviae vaſis profiliit. Nihilominus tamen ſucceſſive ac gradatim continuavi idem dilatare, deinde placentae ſegmentum illud, quod maxima ex parte jam ſeparatum erat, ad latus dimovi, et tandem diſruptis

velamentis, pedes infantis quaesivi, iisdemque arreptis, extraxi infantem septimestrem, qui vero, ob praematuram aetatem, in vivis servari non potuit. Mater quam maxime debilis, diaeta lauta nutriente et remediis roborantibus et excitantibus adhibitis, denique penitus convaluit.

Caput XXXIX.

Placenta in orificio uteri praevia, cum haemorrhagia uteri. Versione artificiali mater una cum infante octimestri servata est.

Illustrissima Principissa Anna Iv. Cz—b—t—ff, e nobili stirpe N—kin nata, secunda graviditate sua, nunc haemorrhagia uteri saepius recurrente, inprimis vero septimo graviditatis mense enormi, vexabatur. Constitutionis fuit corporis debilis, et quamquam plurima remedia sumpsit, attamen sanguifluxus pluries, et subinde maxima vehementia, rediit. Caput non fuit praevium, sed potius placenta uterina. Die XXI Maji anni 1802 tandem, hora

matutina quarta, tanta copia ſanguis excretus eſt, cum fluidus, tum grumoſus ac coagulatus, ut revera de vita ipſius actum fuiſſet, niſi partus ipſe per artem accelleraretur. Curavi itaque, ut ſitus commodus, pro verſione inſtituenda, ipſi conciliaretur, deinde dilatato orificio et ſemota (*) placenta, prehenſiſque pedibus infantis, extraxi puellam octimeſtrem *vivam*, quae baptiſmate nomen Helenae accepit, et adhuc viva et ſana eſt. Infans ſingulari pulchritudine gaudet, et mentis acumine ſuo inſolito et praecoci parentibus ad hunc uſque diem magno ſolamini eſt. Mater, debilis utique, non ſine difficultate ſervabatur. At enim vero penitus convaluit, die VIII Novembris anni 1803, me praeſente, alio felici partu filium enixa iterum eſt, et adhuc integra fruitur valetudine.

(*) Placentam non perforandam, uti inprimis commendavit Deleurye et Mohrenheim, ſed ad latus ſemovendam eſſe, plures ſuadent artis obſtetriciae periti, uti Fieliz in Richter chirurg. Bibliothek vol. x. p. 313.

Allgem. deutſche Bibliothek. vol. 74 p. 126. Videatur etiam Juſti in Starke Archiv. III. Band. II. Stück et Melitſch in Starke archiv. III. Band IV Stük. Koelpin diſſ. de placenta praevia in partu Fr. ad Viadr. 1791. nec non Saxtorph in Collect Soc. Med. Hafn. Vol. I. p. 37.

Caput XL.

Similis ejusmodi casus in nosodochio puerperarum Orphanotrophei Caesarei-Mosquensis.

Die XIII Septembris anni 1802 in nosodochio puerperarum Orphanotrophei Caesarei-Mosquensis partum versione accelerare debui, in quo placenta uteri orificio erat accreta. Infans vero octimestris mortuus extractus est. Mater enim nimiam quantitatem sanguinis perdidit, et eo ipso infans probabiliter in gremio matris extinctus est. Omnia remedia interna, pro arcenda hac haemorrhagia uteri, uti acidum vitriolicum, tinctura cinnamomi et similia, ante operationem frustra adhibita fuerant. Versio infantis, absque mora instituta, unicum est (*) et fuit medium, quo vita matris servari potuit.

(*) Hanc partus accelerationem artificialem, quam Galli *Accouchement forcé* nominant, cum veteres tum recentiores scriptores unanimi consensu commendant. Confr. Rigby Essay on the uterine haemorrhagies. London 1775. Denmann Essay on uterine haemorrhagies, depending on pregnancy and parturition. London 1786. Saxtorph diss. de sanguifluxu uterino. Hafniae 1774. Henke diss. de haemorrhagiis uteri nocivis. Halae 1791. Douglas in medicinischen Beytragen. I n. 6 Jördens in Starke Archiv I. 2. st. n. 3. Schneider in Richter chir. Bibl. XI. B. p. 315. Undecim practicas observationes circa Metrorrhagiam ante partum communicavit Celeb. Osiander in Denkwuerd. 1; B. p. 249. et sq.

CAPUT XLI.

Placenta in orificio uteri praevia, nono graviditatis mense incipiente. Versione instituta, mater cum infante viva mansit.

Die VII Iunii anni 1805 ad uxorem praeceptoris germani Kr — ft vocatus fui. Commemoravit mihi maritus, illam per IV feptimanas pluries habuiffe haemorrhagiam uteri, faepius recrudescentem. Nunc vero in initio noni menfis gravida erat, et fanguinis jactura quam maxime debilitata eft. *Placenta fuit praevia*, neque alia qualiscunque pars infantis tactu percipi potuit. Nulla remedia externa et interna fperatum praeftarunt effectum. Quare cum periculum in mora effet, et orificium uteri digitum indicem apertura fua reciperet, illud arte dilatavi, et verfione inftituta, filiam extraxi vivam. Mater convaluit et progreffu temporis iterum feliciter peperit. — Haec operatio, fauftiffimo pro matre et infante fucceffu, a me inftituta eft eodem die hora matutina decima, et ejusdem fuit teftis medicus obftetricator T — g.

CAPUT XLII.

PLACENTA IN ORIFICIO UTERI PRAEVIA, NONO GRAVIDITATIS MENSE. VERSIONE INSTITUTA, FELICITER INFANS SERVATUS EST. MATER VERO IN PUERPERIO, MORBO SUPERVENIENTE, E VIVIS EREPTA.

Foemina nobilis xxvi circiter annorum, Soph. Alex. Sch — k — ff, mater plurium infantum, in initio ix menſis graviditatis ſuae, a placenta in orificio uteri praevia haemorrhagiam uteri maximam paſſa eſt. Cum eadem pluries rediret et ab ejusmodi cauſa orta peſſimi ominis eſſet, medicus peritiſſimus, qui curam ejus geſſit P — w, conſilium mecum et aliis medicis inivit. Conſtitutum eſt unanimi conſenſu, verſione artificiali partum accelerandum eſſe, ſtatim ac haemorrhagia recrudeſceret, cum qualicunque orificii uterini apertura. Id ipſum factum eſt die xv Martii anni 1807. Vocatus fui hora x ma veſpertina, et cum haemorrhagia ingenti copia continuaret, integram noctem inter xv et xvi Martii apud puerperam hanc tranſegi. Hora iv matutina (xvi Martii) orificium incoepit ita aperiri, ut digitum indicem intromittere poſſem, ſed ſanguis

maximo impetu et cum ſtrepitu qualicunque poſiliit. Dilatavi itaque orificium gradatim, et hora matutina quinta, pedibus arreptis extraxi infantem *vivum*, ſitum transverſalem in utero habentem. Mater haemorrhagia pluries recurrente, inprimis vero illa, quam hac nocte habuit, ſummopere erat debilitata. Facies pallida et animi deliquium, per aliquot horas; modo ceſſavit, modo iterum rediit. Tandem placido ſomno refocillata eſt puerpera, et non ſine intima voluptate ſperavimus, illam ſervari poſſe. Nihilominus tamen, quarto poſt partum die, nulla lactis in mammis veſtigia apparuerunt: febris potius accenſa eſt nervoſa, et deliriis ſubortis blandis, tandem poſt aliquot dies flebilis erepta marito, infantibus et omnibus bonis (*). Infans vero, quantum mihi notum eſt, vivus manſit.

(*) De funeſto haemorrhagiae uteri, ex placenta praevia, quoad partum eventu, conferatur inprimis cl. *Morgagni de cauſis et ſedibus morborum Epiſtola* 48 *Articul.* 44. Plures enim caſus ille recenſet, ſpectantes foeminas ſub et poſt partum obeuntes.

Caput XLIII.

Placenta nono graviditatis mense, vectione in rheda, per commotionem ab interna uteri superficie soluta, cum haemorrhagia insigni subsequuta. Infans versione extractus est, et mater convaluit.

Die 1 Aprilis anni 1798 ad uxorem scriniarii germani Z — s vocatus sum. Nono menſe fuit gravida, et nunc inſignis uteri haemorrhagia exorta eſt. Tanquam primaria cauſa conſiderari potuit validà commotio corporis, quam inter vectionem in rheda uſuali et minus commoda (quae inter noſtrates nominatur дрожки) perpeſſit aegrota. Voluit enim eccleſiam adire, et cum tempore vernali glacies in plateis deficere inciperet, plurimaſque lacunas vacuas ſiſteret, non mirum profecto, quod ex commotione ejuſmodi corporis validiori *ſeparatio placentae* ab interna uteri ſuperficie facta ſit. Subſequens exinde haemorrhagia uteri probe diſtingui debet et poteſt ab illa metrorrhagiae ſpecie, quam ſupra commemoravimus, et quae ex ſecundinis orificio uteri accretis oritur. In *hac*

enim fanguis *inter dolorem* ad partum ex orificio, quodammodo hiante, maximo impetu excernitur. In *illa* vero morbi caufam fiftit non placenta praevia, fed fundo vel corpori uteri adnexa et *feparata.* Haemorrhagia tunc inter dolorem plane ceffat, quia velamenta ovi inter nixum quemcunque editum panduntur et fanguini effluenti exitum denegant. Ceffante vero dolore, recrudefcit in hoc cafu metrorrhagia, ob velamenta collapfa. Ex illo itaque loco, quo partialis fecundinarum feparatio locum habuit, fanguis continuo ftillat, et inter fuperficiem internam uteri et placentae coagulari folet fub forma grumorum. Hic ftatus fuit aegrotae noftrae, quae a fanguinis jactura, etiamfi prius velamenta ovi fruftra arte difrupta effent, quam maxime, ad animi deliquium ufque, fuit debilitata. Medicamenta varia interna exhibui, nec non externe ejufmodi applicavi, abfque ullo fructu. Quare ad partús accelerationem confugiendum erat, cum praecipue orificium uteri magis magifque aperiretur. Dilatavi itaque eodem vefperi hora decima illud, digitis in conum faftigiatis, et cum infans tranfverfalem haberet fitum, pedes ipfius quaefivi, et verfione eduxi infantem tenellum, et exanimem, quem obftetrici praefenti R—e tradidi. Mater autem convaluit et ad hunc ufque diem optima fanitate gaudet.

Caput XLIV.

PLACENTA SEPTIMO MENSE GRAVIDITATIS AB INTERNA UTERI SUPERFICIE SEPARATA PER PLAGAM, IN OSSE SACRO RUDIORI MANUS CONTRECTATIONE ACCEPTAM. VERSIONE INSTITUTA, INFANS VIVUS EXTRACTUS EST, ET MATER SERVATA.

Die IX Martii anni 1804 vidua quaedam nobilis . . . . . . l . . . . . me in auxilium vocavit, quae, clandeſtino amore impraegnata, in ſeptimo jam graviditatis menſe verſabatur. Adierat die praecedente (VIII Martii) epulas, et inter luſum et joculationem a conviva quodam, qui utique graviditatem ipſius ignoravit, plagam circa os ſacrum, rudiori manus contrectatione illatam, accepit. Sanguinis ſtillicidium ex utero *ſtatim* apparuit, et per integram noctem magna quantitate continuavit, manifeſta indicio, a violentia hac externa placentam ab interna uteri ſuperficie ſeparatam eſſe. Liquor amnii in initio jam eſſuſus fuerat. Horis matutinis demum haemorrhagia uteri facta eſt inſignis, quare ad obſtetricem et ad me miſit aegrota. Inveni illam, ob ſanguinis jacturam, in

ſtatu maximae debilitatis, obſervavi arteriarum in carpo micationem vix perceptibilem, et ſyncopem inter dolores leviores ad partum, frequenter redeuntem, quibus omnibus adhuc accedebat, animus timore, pudore, et moerore dejectus. Exploratione inſtituta inveni, orificium uteri ad magnitudinem duorum pollicum apertum; verum enim vero ſanguis ſincerus pleno rivulo et ſummo impetu effluxit. Applicavi acetum cum aqua frigida abdomini, interne exhibui tincturam cinnamomi et vinum rhenanum cum aethere vitriolico et opio. Sed omnia incaſſum. Quare ob inſtans vitae periculum conſtitui, orificium uteri manu dilatare, et cum caput praevium non eſſet, infantem pedibus prehenſis extrahere. Inſtitui itaque verſionem hanc hora decima matutina, et puerum ſeptimeſtrem eduxi vivum, qui vero ob praematuram aetatem per quatuor tantum dies vixit. Puerpera aegre decubuit febri continua per XI dies, et metaſtaſi lactea affecta eſt, et non ſine maxima difficultate priſtinam recuperavit ſanitatem. Progreſſu temporis vero matrimonium inivit, et ad hunc uſque diem ſana, honeſtam nunc vitam agit.

Silentio tamen praeterire non poſſum, munus obſtetricatoris in ejuſmodi caſu admodum

arduum esse, dum ob summum vitae periculum in ancipiti malo anceps remedium, invita aegrota et absentibus omnibus agnatis, eligere debeat. Non diffiteor enim, hanc aegrotam, inter et post operationem institutam, speciem mortis revera prae se tulisse. Facies erat pallida, pulsus fere nullus, et animi deliquium post partum ultra x minutas continuavit. Nihilominus tamen, quamquam status aegrotae conclamatus videbatur, ob partum clandestinum periculum vitae celare debui, et non sine summa cura et difficultate eo perveni, ut in vita servaretur aegrota.

PLACENTAE IN UTERO REMANSIO, POST PARTUM EDITUM.

Nondum inter eruditos composita lis est, num placenta debeat arte solvi, vel an *semper* naturae committi. Debita aequanimitate, si ad id attendimus, quod experientia plurium annorum docuit, liquido patet, solutionem secundinarum ut plurimum a natura sponte absolvi, et placentam ipsam absque noxa per plures horas in utero moram agere posse. Nihilominus tamen dantur etiam casus rariores, quibus necessitate coactus est obstetricator, illam arte solvere, pro servanda vita matris, et in quibus ulterior cunctatio ipsi, tanquam peccatum, imputari posset

Quae ut clarius elucefcant, liceat nunc cafus ejufmodi practicos breviter enumerare, quibus eadem modo commemorata principia probari poffunt.

Caput XLV.

Placentae in utero remansio per XII horas, post partum editum, absque ulla noxa pro puerpera.

Mercatoris uxor Nad. Icon. Pt—z—n, primipara XV annorum, felicem ac maxime naturalem partum fpatio 4 horarum edidit, me praefente die XI Augufti anni 1805, hora matutina quinta audita. Exclufo infante, dolores novi vel nixus diu admodum non fupervenerunt, et ideo quidem probabiliter, quia ipfe partus admodum cito abfolutus erat. Res enim eft experientiae, eo citius excerni fponte natura placentam, quo lentior fuit partus ipfe. In noftra hac puerpera nulla haemorrhagia uteri vifibilis fuit, et vires conftarunt: quare, praeter leviorem abdominis frictionem, nihil feci. Prima et levis quidem uteri contractio facta eft poft IV horas elapfas, id eft hora IX audita. Manu mea abdo-

mini applicata cognovi, placentam a fundo uteri nondum ſolutam eſſe. At enim vero ſanguinis ſtillicidium modicum erat, adeoque cunctando et expectando plus profeci, quam ſi, vi quadam illata, voluiſſem rem accelerare. Rariores ejuſmodi uteri contractiones, ab illo tempore inde, omni dimidia circiter hora obſervatae ſunt, et ad horam quartam pomeridianam uſque, ſecundinae ſemper fundo uteri adnexae inveniebantur. Deinde vero unico fortiori dolore ſuperveniente, et nixu edito, ſemel ac ſimul placenta ſponte a natura expulſa eſt, quamquam per XII horas abſque ulla noxa matris intus haerebat. Puerpera enim noſtra, neque haemorrhagia vexata fuerat inſolita, neque viribus potuit exhauriri, ſed fauſtiſſimum habuit puerperium.

CAPUT XLVI.

PLACENTAE REMANSIO PER XXXIX HORAS POST PARTUM, TANDEMQUE SPONTE A NATURA EXCLUSA, ABSQUE NOXA PUERPERAE.

Uxor centurionis militaris B—tt—n, quadraginta circiter annorum foemina, habitus corporis obeſi, quae ſeptem jam infantes quondam in lucem

ediderat, nunc die IX Octobris anni 1808, hora vespertina octava, me praesente iterum peperit. Commemoravit tamen mihi maritus, uxorem tres infantes aetate minores facile quidem in lucem edidisse Petropoli, at enim vero placentam semper habuisse, ultra dimidium diem in utero morantem. Haec etiam ratio erat, qua me ante partum rogavit, ut huic partui ab initio ad finem usque interessem. Post absolutum partum optime valuit puerpera, sed deficiebant penitus uteri contractiones, pro expellenda placenta. Transegi non tantum integram noctem apud aegrotam, sed etiam alterum insequentem diem. Probe inquisivi exploratione, nonne *cystide* sit *inclusa placenta*, et sedulo observavi, nonne haemorrhagia superveniret, cujus tamen nulla indicia, praeter stillicidium solitum, observabantur. Maritus tamen funestum exitum metuens, cum, altero insequente die x octobris, nulla mutatio circa placentae exclusionem facta esset, et cum manualem extractionem, utpote minus necessariam in hoc casu, repudiarem, postulavit, ut consilium cum aliis medicis ineatur. Insteti, ut res naturae committeretur, quoniam nulla haemorrhagia hucusque observabatur, et pro causa habui simpliciter *atoniam qualemcunque uteri habitualem*, quae non vi sed patientia superari deberet. Medici advocati annuerunt opinio-

ni meae, neque temere, nam tandem tertio die, id eſt die XI octobris hora X matutina, novis doloribus ſubortis, placenta ſponte a natura excreta eſt. Puerpera haemorrhagiam uteri inſolitam neque inter, neque poſt ſecundinarum excluſionem, habuit, et puerperio fauſto, brevi tempore convaluit. Ingenue tamen fateor, me noluiſſe cunctando vitae diſcrimini exponere puerperam, ſed potius me ſtatim ſuſcepiſſe artificialem ſolutionem, illo in caſu, ſi in eadem aegrota haemorrhagia uteri inſolita ſuborta fuiſſet.

CAPUT XLVII.

SECUNDINAE PER VII DIES, ABSQUE NOXA MATRIS IN UTERO RELICTAE, POST PARTUM PRAEMATURUM EDITUM.

Mulier quaedam, in domo generoſiſſimae Naſt. Dm. L—v—ff, die IX Novembris anni 1798 partu praematuro in lucem edidit foetum quadrimeſtrem et mortuum, me abſente. Cum placenta moram ageret, tertio die XII Novembris, me in auxilium vocarunt. Inveni puerperam ſatis bene valentem, ſed exploratione facta, ſecundinas, prouti in partu praema-

turo fieri folet, firmiter adhuc internae fuperficiei uteri adhaerentes. Quoniam in partu praematuro manus neque poffit, neque debeat inferri in uteri cavum, ob orificium nondum penitus deterfum, et cum nulla haemorrhagia urgeret, artificialem folutionem noxiam effe judicavi, et praeter frictionem abdominis, injectiones emollientes in vaginam, et mixturam analepticam, nihil adminiftravi. — Neque me fpes boni eventus fefellit; nam fecundinae, repetitis uteri contractionibus, tandem ejectae funt non prius, quam die XVI Novembris, poftquam per VII dies in utero morarunt. Puerpera optime convaluit, et progreffu temporis, mater plurium infantum evafit.

Caput XLVIII.

Similis ejusmodi casus post abortum, quo quarto die secundinae a naturâ ejectae sunt.

Foemina nobilis R—k—n abortum paffa eft foetus in initio tertii menfis, die XIII Decembris anni 1802. Primo liquor amnii femel ac fimul ex inopinato effluxit, deinde, horis matutinis ejufdem

diei expergefacta, fenfit infoliti aliquid exiiffe ex utero, quod fuit foetus pufillus. Remanfit tamen placenta, quae non prius, quam die XVII Decembris, inter fanguinis fluidi et grumofi profluvium modicum, fponte a natura ejecta eft. Ipfa aegrota, nullis infolitis affectibus vexata, brevi tempore convaluit.

Ex his obfervationibus practicis (ut alias taceam) facile patet, placentam in utero per aliquod tempus morari poffe, abfque evidenti plerumque noxa matris, *dummodo enormis, vel nimia non fuperveniat uteri haemorrhagia.* Verum enim vero inde non valet conclufio, ac fi folutio fecundinarum *femper* naturae tantum relinquenda fit, vel ac fi obftetricator, quoad placentae excretionem, otiofum fimpliciter fpectatorem, *in qualibet parturiente*, agere debeat. Experientia enim demonftrat, dari in praxi funeftos ejusmodi cafus rariores, quibus, fi fecundinarum folutio arte non acceleraretur, puerpera ab haemorrhagia brevi tempore e vivis eripitur, vel longiori placentae in utero mora, maffa fanguinea ejus putredinofa labe inquinatur, et febris ominofa accenditur. In cujus rei probationem fequentia a me obfervata exempla infervire poffunt.

Caput XLIX.

Haemorrhagia uteri lethalis, bihorio circiter post partum editum elapso, superveniens, quoniam placentae, fundo uteri adhaerentis, extractio artificialis neglecta fuerat.

Die xxvii Aprilis anni 1798 uxor medici M—k—s paitu naturali et facili in lucem edidit filiam. Maritus, rei obſtetriciae alioquin peritus, in ea opinione fuit, ſolutionem placentae ſemper naturae tantum committendam eſſe. Verum enim vero, brevi tempore poſt partum editum, ſubſequuta eſt ingens uteri haemorrhagia. Angor nunc occupat miſerae parturientis praecordia, inſequitur faciei et labiorum pallor, extremitates frigent, animus delinquit, tenduntur nervi, convelluntur artus tremoreque rigent, et dira ſubitanea morte, poſt duas horas, extincta mater, diem obiit ſupremum. Vocatus ſum, ſtatim poſtquam deceſſit puerpera, et placentam, fundo uteri adhuc firmiter adnexam, inveni, quae non fuit ſoluta, ſed intus haerens eodem ſepulcro, cum matre defuncta, condita. Puella viva, ab eodem ipſo temporis momento inde,

quo lucem aſpexit, ad hunc usque diem in domo mea verſatur, et bonae indolis virgo, nunc dum ſcribebam, annum jam agit decimum ſecundum.

Non ſine magna probabilitate aſſumere poſſum, matrem puerperam, mihi et omnibus bonis flebilem, de reliquo vero ſanam ac robuſtam, ſervari forſan potuiſſe, ſi artificialis ſecundinarum ſolutio prius ſuſcepta fuiſſet.

Caput L.

Puerpera, febri putrida e vivis erepta, quia placenta putredine resoluta, per quatuor dies in utero retenta fuit.

Die xvii Iulii anni 1796 ad uxorem mercatoris graeci Chriſtoph. P — gli vocatus fui, quae, ante quatuor jam abhinc dies, partum naturalem ac facilem ediderat. Placenta vero remanſit, in initio ingentem uteri haemorrhagiam produxit, et tandem in putredinem reſoluta, eadem corpus puerperae ita inquinavit, ut typho nunc vexaretur miſera aegrota. Mens fuit alienata, pulſus parvus et

praeterea carphologia, fubfultus tendinum et maculae petechiales, funeftum exitum praedicere videbantur. Exploratione inftituta, inveni placentam ab interna uteri fuperficie jam folutam, pone orificium facile tangendam, quam leviffimis tractionibus adhibitis abfque ulla difficultate extraxi. Haec putredine confumpta erat, et cadaverofum foetorem fpiravit. Adhibui utique etiam curam internam, remediis excitantibus, ex valeriana, camphora, mofcho et cortice peruviano. At enim vero omnia incaffum.

Febri illa e vivis erepta haec eft aegrota, quae forfan potuiffet fervari, fi me primo vel fecundo faltem die vocaviffet maritus, pro accele-randa placentae folutione.

Caput LI.

Similis ejusmodi casus remansionis secundinarum per triduum. Puerpera, sexto post partum die, febri consumpta est.

Puerpera quaedam in domo Excellentiſſimae N. M. S—t—coff degens, me die xxvi Maji anni 1797 in auxilium vocavit. Audivi, tres dies jam elapſos eſſe, quibus partum facilem ac naturalem enixa fuerat. Placenta vero in utero remanſit, et cum obſtetrix minus perita affirmaret, illam ſponte ſeparari poſſe, non prius quam triduo jam praeterlapſo, auxilium nunc quaeſivit maritus. Inveni ſecundinas jam ſolutas in ſumitate vaginae haerere, eaſque foetidiſſimum odorem ſpargentes facile extraxi. Puerpera vero, ſanguinis jactura debilitata, et febri nunc perniciosa detenta, nullis artis mediis in vivis ſervari potuit, ſed ſexto poſt partum die deceſſit.

Caput LII.

Haemorrhagia uteri, per XXXVI horas, lethalis puerperae, inqua secundinarum artificialis solutio neglecta fuerat.

Menſe Octobris anni 1809, hora pomeridiana ſexta, vocatus fui ad ſervam illuſtriſſimi Principis I. D. Tr—koy. Inveni foeminam, plurium infantum matrem, cum inſolito faciei ac labiorum pallore, abſque pulſu perceptibili, et cum reſpiratione anhelosa, et omnes adſtantes, animo vehementer commotos ac perturbatos. Enumerarunt mihi, in cauſam inquirenti, hanc puerperam die praeterito, horis matutinis, partum facilem edidiſſe, placentam vero adhuc intus haerere, et ſanguinis profluvium continuaſſe ab illo tempore inde maximum. Exploratione inſtituta, inveni lectum cum pulvinaribus, ſanguine ſtupendo modo inundatum, et vaginam grumis ſanguineis repletam. In ſumitate vaginae *ſoluta haerebat placenta.* Priuſquam illam indice ac pollice extraxi, quod utique facillime ſucceſſit, declaravi tamen adſtantibus, me lubenter velle ſtatim puerperam a ſecundinis liberare: at enim vero adjeci, eo ipſo nunc aegrotam, quae jam in agone

versabatur, servari non posse. Post duas horas obiit misera, quae probabiliter servari potuisset, si licuisset mihi placentam prius extrahere.

CAPUT LIII.

REMANSIO PLACENTAE, UTERO ADHUC ADHAERENTIS, IN QUA OB SUPERVENIENTEM HAEMORRHAGIAM CUM ANIMI DELIQUIO, ARTIFICIALIS SECUNDINARUM SOLUTIO FAUSTISSIMO SUCCESSU INSTITUTA EST.

Die XXII Iunii anni 1796 me absente, peperit feliciter foemina nobilis Anna Serg. M—ch—ff, hora prima nocturna. Priusquam placenta solvi potuit, ingens haemorrhagia supervenit, quare obstetrix H—zm—r, hora matutina quarta, me in auxilium vocavit. Inveni puerperam syncope detentam, faciem ejus pallidam, pulsum debilem et inprimis commiseratus sum maritum, qui animo vehementer perturbatus, de vita conjugis dulcissimae desperabat. Sanguinis excreti quantitas enormis erat, cum fluidi, linteamina ac integrum lectum inundantis, tum coagulati, sub forma grumorum,

confpicui. Exploratione interna inftituta, facile detexi, placentam fundo uteri adhuc adhaerere, quod praeterea comprobavit etiam externus abdominis attactus, cum globus ille circumfcriptus, in fumitate ejus fupra umbilicum, percipi potuit. Conftitui in initio, feparationem naturalem ac fpontaneam fecundinarum, levi abdominis frictione adjuvare, externe fomenta frigida cum aceto applicare, et interne, tincturam cinnamomi cum acidis mineralibus, propinare. Verum enim vero haec omnia incaffum.

Sanguis pleno rivulo fluere continuavit, pulfus debilior factus eft, et animi deliquium vix ac ne vix quidem ceffavit. Quare, ut vita matris fervetur, folutionem fecundinarum manu applicata accelerare, neceffitate coactus fui. Funiculus itaque umbilicalis digito indici ac medio manus finiftrae meae circumvolutus eft, et dextra manu in conum faftigiata, ad ductum funiculi, in uteri cavum caute penetravi. Quaefivi nunc in ambitu placentae illum locum, quo partialis faltem ejus, ab utero folutio qualiscunque, facta effet, interpofui digitos huic vacuo, et fecundinas, eodem modo, ac fi paftam cum menfa cohaerentem deglubere vellem, lente feparavi, eafque manu mea inclufas integras, cum

velamentis annexis, caute eduxi. Puerpera debilis, et mentis nondum compos, ſyncoptica per dimidiam horam jacuit, et ſuſpiria tantum edidit. Tunc vero placido ſommo refocillata eſt, et nunc denique vividior arteriarum micatio in pulſu, pridem vix ac ne vix quidem perceptibili, rediit. Aegrota, ob ſanguinis jacturam ante ſecundinarum ſolutionem, quam maxime debilitata, aegre decubuit, cujus curam in puerperio una cum medico ipſius exercitatiſſimo ac meritiſſimo F — ſe geſſi. Convaluit tandem, et progreſſu temporis alium iterum partum edidit.

Caput LIV.

Secundinae in utero foeminae obesae diutius relictae, ob ingentem haemorrhagiam, arte faustissimo successu solutae.

Die XI Maji anni 1797, hora matutina octava, uxor generoſiſſimi I — v — ff, quae mater jam plurium infantum erat, iterum partum edidit naturalem. Cum autem placenta nunc in utero mo-

ram ageret, et enormis haemorrhagia exorta esset, ob instans vitae periculum, me hora pomeridiana quarta in auxilium vocavit chirurgus A—d—m. Vidi foeminam, obesae corporis constitutionis, in qua, ob atoniam uteri, ex apertis ejus vasis sanguis pleno rivulo effluere continuavit. Inde vires fractae, pulsus debilis, pallor in facie et labiis oris, nec non syncope, e qua per breve tantum tempus animus redibat et iterum linquebatur. Periculum fuit in mora, et reliquis remediis solitis externis et internis frustra adhibitis, constitui, manu in uterum immissa, secundinarum solutionem accelerare, ut sanguinis profluvio obex poneretur. Separavi itaque, secundum regulas artis, placentam in summitate uteri haerentem, eamque integram caute extraxi.

Puerpera penitus convaluit, et per longum tempus vixit: tandem vero, post septem annos jam matrona, alio morbo e vivis erepta est.

Caput LV.

Similes ejusmodi quatuor casus, in quibus secundinarum solutio, felici successu, arte accelerari debuit.

Ob ingentem et enormem uteri haemorrhagiam, quae a fecundinis, in utero diu morantibus, exorta eft, ne vitae periculo exponerem matres, neceffitate coactus fui, placentam pluries arte folvere et extrahere.

I. Die xix Maji anni 1798, in uxore mercatoris Galli G— thier. Partus fuit naturalis, me abfente, feliciter abfolutus, fed placenta, in foemina debili, ac cachectica, per viii horas relicta eft. Ob haemorrhagiam uteri nimiam, fecundinarum folutionem manu accelerare obftrictus fui. Puerpera penitus convaluit, fed progreffu temporis alio morbo, id eft phtyfi, confumpta eft, cujus veftigia jam ante partum apparuerant.

II. Die v Octobris anni 1799, in uxore opulenti mercatoris S—m—ff. Ob placentam relictam, metrorrhagia infignis facta eft, quare medicus ejus

G — rt me in subſidium vocavit. Secundinis arte ſolutis haemorrhagia ſublata eſt, et puerpera priſtinam ſanitatem recuperavit, imo poſtea pluries iterum peperit, et adhuc viva, optima fruitur valetudine.

III. Die v Iunii anni 1800 idem caſus obſervatus eſt in muliere quadam, quae in domo B — ſch — z — ff degebat. Succeſſus fuit fauſtus, et puerpera viva manſit.

IV. Die xi Iulii anni 1800 ad puerperam vocatus ſum, in domo Olg. Vaſſ. P — kin degentem. Mater fuit plurium infantum, et nunc jam ſecunda vice, placenta, poſt partum editum, diutius quam par eſt, moram egit. Ob haemorrhagiam uteri nimiam, ſecundinas arte ſolvere, obſtrictus fui. Neque abſque felici eventu. Puerpera enim penitus convaluit.

Caput LVI.

Placentae remansio in utero habitualis, felici successu, bis sublata.

Experientia docet, in foeminis, quae vel ſemel, poſt partum editum, habuerunt ſecundinas utero adhaerentes, earum remanſionem, pro inſequente altero partu, plerumque evadere habitualem, et tandem ominoſam. Hujus rei evidens documentum obtulit uxor opulenti quondam mercatoris O—l—ff, quae die xxv Februarii anni 1798, in abſentia mea, partum naturalem ac facilem ediderat. Placenta ſponte a natura ſolvi non potuit, ſed firmiorem nexum, quam par eſt, cum interna uteri ſuperficie habuit. Subſequuta his eſt ingens uteri haemorrhagia, cum animi deliquio, quibus omnibus perterrefactus eſt maritus, et inprimis obſtetrix R — ch, quae tamen mala fide egit. Continuata enim violentiori funiculi attractione, hunc plane a placenta abrupit, et nunc animo commota, priuſquam ad me miſit, abruptum funem, in vaginae et uteri cavum, iterum introduxit. Adeuns puerperam, utique in ancipiti vitae periculo, illam verſari inveni, et dum inter explorationem funi-

culum digitis manus finiftrae obvolvere volui, ille ad leviffimam attractionem penitus feparatus et abruptus exiit, priufquam alteram manum, cui conductoris ad inftar infervire deberet, immittere potui. Nihilominus tamen conftitui, hoc obftetricis peccatum filentio praeterire, ne puerperae metum vel terrorem inferrem. Ob periculum in mora, ad artificialem fecundinarum folutionem me accingere coactus fui, quamquam abruptus effet funiculus, qui mihi potuiffet infervire conductoris ad inftar. Manum itaque meam finiftram externe abdomini applicavi eo loco, quo tumorem circumfcriptum in fundo uteri tactu percipiebam, et dextra manu, in uterum immiffa, quaefivi et inveni placentam, utero adhuc adharentem. Caute illam nunc feparavi, non abfque ejulatu puerperae, et integram, cum velamentis annexis, extraxi. Aegrota vero in ftatu puerperii, per duas hebdomades, febri continua laboravit, fed penitus poftea convaluit. Tandem eadem foemina, iterum gravida facta eft, et die XXIV Aprilis anni 1802 iterum peperit. Cum et ipfa aegrota et maritus partus praegreffi memores, eamdem fecundinarum in utero remorationem metuerent, nunc ftatim ab initio inde, partui intereffe debui, qui facilis ac naturalis erat. Quoad placentam vero, obfervavi, illius adhaefionem cum

utero praeternaturalem, nunc habitualem factam esse. Septem horae enim, post partum editum, elapsae erant, et quamquam frictionem abdominis externe, et medicamentorum antispasmodicorum et anodynorum usum interne, nec non clysmata huic fini apta, adhiberem, attamen speratum non vidi effectum. Quare ob metrorrhagiam auctam, eamdem artificialem secundinarum solutionem, methodo solita, instituere obstrictus fui, quae tamen nunc facilius, ob funiculum integrum, successit, quam anno 1798. Puerpera iterum convaluit et puerperio ab soluto, post annum elapsum alio plane morbo, id est, *phtysi pulmonali* consumpta est. In utroque puerperio curam ipsius gessi, una cum alio medico peritissimo F — e —.

Caput LVII.

Placentae in utero remansio habitualis, periculosa.

Foemina nobilis Gr — g — w, mater septem infantum vivorum, experientia ipsa edocta est, placentam, utero suo per longum tempus adhaerere, quamquam partus ipse facili ac naturali modo

abſolutus eſſet. In partu enim, quem ultima vice edidit, ruri degebat, et ſecundinae per biduum fere cavo uteri incluſae manſerunt, priusquam excretae eſſent, non abſque ſummo vitae ipſius diſcrimine. Quare nunc, octavo infante gravida, ex induſtria Moſquam petiit, ne auxilio obſtetricatoris deſtitueretur.

Felici partu jam, me praeſente, ab hoc infante liberata eſt die XXVII Ianuarii anni 1802, ſed placenta per XXII horas in cavo uteri remanſit, et fundo ipſius firmiter adhaeſit. Ob ingentem uteri haemorrhagiam ſupervenientem, quamquam otioſus hucuſque ex induſtria eſſem ſpectator, tandem, neceſſitate ſumma urgente, coactus fui, ſecundinarum ſolutionem arte accelerare. Quod utique ſperatum habuit eventum, et puerpera noſtra hac vice penitus convaluit, et priſtinam recuperavit ſanitatem, verum enim vero, quamquam ipſi ſerio praedicerem, novam graviditatem, ob habituale ejusmodi vitium, funeſtam fore, tamen iterum concepit et die XXII Iulii anni 1803, inter ipſos partus dolores, me advocare juſſit. Idem obſervatus eſt partus eventus, eadem patientia a me adhibita, eadem quoad ſecundinarum ſolutionem difficultas, et eadem operatio manualis a me ſuſcipi debuit. Per hanc, uti-

que placenta fundo uteri adhaerens, secundum leges artis, integra extracta est. Aegrota vero, viribus exhausta, puerperium habuit minus faustum, et in vivis servari, hac tertia vice, non potuit.

Caput LVIII.

Similis placentae remansio habitualis, funesta.

Generosissima Prosc. Nic. M — m — ff anno 1803, tertia vice partum facilem edidit. Placenta vero post XIV horas, ex utero naturae viribus, excerni non potuit. Tandem exorta est ingens metrorrhagia, et secundinae ab obstetricatore K — l, non absque difficultate, per artem solvi potuerant. Aegrota vero, ob vires inde fractas, febri vexabatur et metastasi lactea affecta est, quibus omnibus abscessus lactei in femore et suris facti sunt, funesto ejusmodi effectu, ut per XII hebdomades neque pedibus instare, neque sine summa difficultate, in vivis servari posset haec puerpera. Medicus ipsius curam gerens B — k — v — st jam tunc marito dixit, novam

graviditatem evitandam esse, ne puerpera habitualis ejusmodi secundinarum retentionis victima evaderet, proximo instante partu. Verum enim vero gravida facta est iterum, et die xxx Decembris anni 1804 peperit, hora ipsa media nocturna. Expectavi frustra per tres horas spontaneam secundinarum solutionem. Hoc ipso intermedio temporis intervallo haemorrhagia uteri exorta est enormis, cum animi deliquio saepius recurrente. Maritus praesens, per retentionem placentae anni 1803 adhuc perterrefactus, ipse exigebat, ut uxor ab eadem liberetur, et revera periculum fuit in mora. Urgente itaque necessitate, manum meam dextram caute immisi, et secundinarum solutionem arte acceleravi. At enim vero aegrota puerperium habuit minus faustum, lactis inprimis secretio in mammis penitus interrupta est, nova iterum metastasis ad cerebrum quidem supervenit, et ipsa puerpera, nono post partum die id est, die vii Ianuarii anni 1805, confecta, in vivis servari non potuit.

Caput LIX.

Remansio placentae duplicis in utero, postquam alter gemellus partu naturali in lucem editus, alter autem versione eductus fuerat.

Die XXIII Martii anni 1809 hora pomeridiana tertia excellentiſſima C. N. N—— kin, me abſente peperit gemellum unum. Alter vero ſitum in utero habuit tranſverſalem, quare hora ſeptima veſpertina vocatus ſum. Funiculus propendebat, abſque pulſatione arteriarum, quod utique exinde factum eſt, quia ille per quatuor horas, poſt partum infantis primogeniti, compreſſioni expoſitus fuit, priuſquam ad me miſerant. Verſionem inſtitui abſque mora, et infantem pedibus extraxi facili opera, qui, ob rationem ſupra commemoratam, vivus eſſe non potuit. Partu abſoluto expectavi, ut naturae viribus ſolveretur placenta duplex, et ob hanc rationem integram noctem apud puerperam tranſegi. Verum enim vero, novem horae elapſae ſunt poſt partum, abſque ſperato effectu. Fruſtra adhibitae ſunt frictiones abdominis cum unguento nervino et anodyno, nec non excitantia volatilia.

Puerpera conſtitutionis corporis per ſe jam debilis, partu duplici diutius protracto, adhuc debilior evaſit, et tandem ab hora tertia matutina inde ſupervenit haemorrhagia uteri, cum animi deliquio continuo fere. Vix enim ac ne vix quidem animus rediit, poſtquam odoriferum naſo, vel ſpirituoſum regioni temporali, vel aqua frigida faciei et ſimilia externe, admota fuerunt. Vinum generoſum interne exhibitum vix prodeſſe potuit, cum poſt quinque minutarum intervallum iterum nova inſecuta ſit ſyncope. Pulſus fuit praeterea debilis, extremitates frigidae, et ipſa aegrota eo ipſo momento, quo mens redibat, poſtulavit, ut ſacerdos advocaretur pro ſacris adminiſtrandis. Placenta vero utriuſque infantis, in ſumitate fundi uteri immobilis ſemper haerebat, et ex apertis vaſis uteri, ſanguis pleno rivulo fluere continuavit. In ancipiti hoc caſu, ob inſtans vitae periculum, conſtitui, ſecundinas arte ſolvendas eſſe. Immiſi manum utero, caute ſeparavi et eduxi placentam duplicem, hora quarta matutina die XXIV Martii. Puerpera utique debilis fuit etiam poſt partum, attamen ſanguinis profluvium ceſſavit, et ipſa aegrota convaluit, et ad hunc uſque diem optima fruitur ſanitate.

Caput LX.

Partus gemellorum, quo puer primogenitus natibus praeviis in lucem editus est, alter autem frater gemellus capite praevio. Secundinae vero fundo uteri firmiter adhaerentes, pro salvanda matre, arte solvi debuerunt.

Excellentiſſima A. I. P—tſch—ſew, primipara, poſtquam per XI horas partus dolores continuarunt, tandem die XXI Februarii anni 1810 hora veſpertina decima audita, me praeſente, peperit puerum natibus praeviis vivum. Eodem in lucem edito, caput alterius fratris gemelli orificio uteri ſe obtulit. Ob ſitum naturalem infantis, nolui abſque neceſſitate urgente, partum hunc accelerare, et ideoque novos dolores expectavi, quibus tandem, poſt unam horam cum ſemiſſe (id eſt hora undecima cum dimidia), naturae viribus et partu naturali, ſecundus gemellus in lucem editus eſt. Hucuſque partus fauſtum habuit ſucceſſum, et vires in puerpera conſtabant. Quoad ſecundinarum ſolutionem vero, eadem difficultas, et eadem ſymptomata periculoſa, quae modo capite praecedente commemoravi. Quatuor

horae, poſt partum pueri aetate minoris, elapſae ſunt, placenta vero ſemper fundo uteri adhaerebat, et ſanguinis profluvium, cum ſyncope, alternantes vices egit. Quare conſilium inivi cum obſtetricatore T—g, et conſtitum eſt, ſecundinas artificiali extractione ſolvere. Quibus eductis, haemorrhagia ceſſavit, et puerpera, poſt duas hebdomades elapſas, tandem convaluit.

Caput LXI.

Observationes plures practicae, quibus placenta, ab interna uteri superficie sponte soluta, ob moram insolitam, e vagina a me extrahi debuit.

I. Die x Ianuarii anni 1796, in uxore pharmacopoëi W—br—r. Vocatus ſum a Protochirurgo M—j—r, ſolutio adhuc facilis fuit, nec non puerperium fauſtum.

II. Die vi Februarii anni 1796, ſolutio placentae duplicis, poſt partum gemellorum, in uxore praeceptoris galli. Placentam infantis primogeniti in

vagina jam inveni, et ad leviſſimam attractionem haec excernebatur, cui immediate inſecuta eſt ſolutio placentae alterius infantis, priori adnatae.

III. Die XVI Aprilis anni 1796, infans D. A. M—t—w a me forcipe extractus eſt vivus, hora matutina quarta. Placenta vero ad horam meridianam uſque non ſolvebatur. Quare excretionem illius arte accelerare debui, et fauſtiſſimo quidem pro matre ſucceſſu.

IV. Die XII Ianuarii anni 1798 in domo A. F. L—d—g—ſky, in muliere quadam placentam ſolvi, quae die praecedenti partum naturalem ediderat.

V. Die XII Septembris anni 1802, apud uxorem praeceptoris E — l — ff, qui Univerſitati noſtrae adſcriptus erat, placentam arte ſolvere obſtrictus fui, quae per XIV horas in utero moram egit.

VI. Die XXIV Ianuarii apud uxorem V. F Str—nicoff, placentam, per ſex horas in utero morantem, arte extraxi.

VII. Die XXVIII Decembris, uxor Protochirurgi H—d—ius partum praematurum edidit, ob febrim continuam, qua aegre decubuit. Placenta ab hora veſpertina XI inde, ad quintam matutinam uſque alterius diei, remanſit. Eadem extracta, puerpera convaluit.

VIII. Die xv Septembris anni 1807, foemina nobilis N—now partum naturalem edidit. Placenta poft IV horas, partu jam edito, in fumitate vaginae a me inventa, et faufto fucceffu a me extracta eft.

IX. Die XII Novembris anni 1808, ad uxorem G. I. B—tt—in me invitavit obftetrix. Partum ediderat naturalem hora quarta matutina, fecundinae vero, ob moram infolitam, a me liberatae funt hora undecima ante meridiem.

X. Die XVII Februarii partui naturali interfui, apud foeminam nabilem et primiparam K—r—jeff. Placenta per feptem horas moram egit. Poftquam partus abfolutus fuit, integram noctem adhuc apud illam tranfegi, fpe fretus illa, ut fecundinae a natura ejicerentur. Hora tandem matutina fexta alterius diei, illas ad vaginam ufque fponte delatas effe, exploratione inveni. Quare abfque ulla difficultate, et optimo fucceffu, a me e vagina educta eft placenta ita, ut funiculum, poftquam digito indici et medio manus finiftrae circumvolutus effet, lente attraherem, deinde pollice vel indice manus dextrae eumdem in fumitate orificii uteri, inferiora verfus, repetitis vicibus, premerem, ufque dum ex orificio exirent fecundinae (*).

(*) Hanc methodum, fecundinas folutas e vagina educendi, accuratius inprimis defcripfit celeberrimus et de arte obftetricia meritiffimus *Ofiander* in *Grundriſſ der Entbindungs-Kunſt I Theil. Göttingen* 1802. Capite VII. §. 615. pag. 300.

Caput LXII.

Partus agripparum imperfectus, id est unico et sinistro quidem pede praevio, primum in perfectum mutatus, et deinde, infantis artificiali extractione, terminatus.

Die XXVII Iunii anni 1800, foemina nobilis Alexandra Alexandri filia P — ſky, quae ſecunda vice gravida erat, primos ad partum dolores percepit. Obſtetrix B — n ſtatim advocata, dum animadverteret per explorationem, caput infantis praevium non inveniri, et videret, partum praeternaturalem fore, auxilii ferendi gratia, ad me miſit. Adeuns parturientem, exploratione inſtituta inveni, orificium uteri ad trium pollicum magnitudinem jam apertum, et veſicam liquore amnii plenam, inter dolorem maxime tenſam, et prominentem. Cum vero de parte praevia infantis inter dolorem nihil certi determinari poſſet, digitum inter explorationem immiſſum, ceſſante dolore non extraxi, ſed expectavi uſque dum collapſa eſſent velamenta ovi, et nunc facile detexi, phalanges unius pedis tangi. Dolores ad partum ſatis validi continuarunt, et conſtitui, expectare eorum effectum, uſque dum orificium penitus eſſet

toto ambitu deterſum et apertum. Quofacto digito indice et medio velamenta ovi diſrupi, et eodem ipſo momento, quo liquor amnii magna quantitate et cum ſtrepitu quodam effluxit, manu mea dextra in ſpatium vacuum illud penetravi, et partem praeviam accuratius examinavi. Pes erat infantis ſiniſter, quem ſtatim digito indice et medio ſupra malleolum applicatis attraxi. Ut vero partus hic agrippinus imperfectus primum in perfectum mutetur, eidem pedi praevio applicavi laqueum ope ligulae. Deinde figebam hunc, prehenſo vinculo manu mea ſiniſtra, et dextra iterum immiſſa, quaeſivi alterum pedem dextrum, illum priori adjunxi, et tandem infantem utroque pede praevio, extrahere coepi. Interpoſui digitum medium inter genua infantis, eduxi truncum ad umbilicum uſque, et cum funiculum tenſum invenirem, eundem laxavi, et extractionem infantis ad axillas uſque continuavi. Brachium nunc primum dextrum, deinde alterum, lege artis ſolutum eſt, et tandem caput, una manu naſo, altera occipiti impoſita, extricavi. Partus felici ſucceſſu ejuſmodi ratione terminatus eſt. Puer eductus eſt vivus, qui adhuc ſanus, in domo illuſtriſſimi Principis Tr—koy verſatur, et ipſa mater puerpera penitus convaluit, et fauſtum habuit puerperium.

Caput LXIII.

Partus, unico pede (dextro) infantis praevio, feliciter terminatus, tanquam partus agrippinus imperfectus.

Die xxx Iunii anni 1801 Protochirurgus M—j—r adiit domum meam, et petiit, ut abſque mora venirem in auxilium parturientis foeminae nobilis Alexandr. Ilj. G——rew. Adfuit obſtetrix S—p—l, quae mihi commemoravit, partus dolores jam ante ſex horas initium coepiſſe, non ita pridem vero veſicam amnii liquore repletam, eſſe diſruptam, et nunc tandem partem quamdam praeviam inveniri, de qua in dubio illa ſit, num pro pede vel manu habere debeat. Exploratione inſtituta inveni eſſe pedem dextrum. Pollex enim ſiniſtrum matris latus reſpiciebat, malleolus et angulus acutus, quem pes cum crure format, facile erat perceptibilis, et phalanges breviores, quam ut potuiſſent cum digitis manus confundi. Conſtitui in initio, alterum pedem ſiniſtrum quaerere. Verum enim vero, cum illum invenirem ad longitudinem corporis totius infantis firmiter adligatum, mutavi conſilium, et unico pede praevio, tanquam agrip-

parum imperfectum feliciter abſolvi. Alter pes enim occultus, inter trunci extractionem, ſponte profi-liit et ſocio junctus, facilem pueri ſani ac vegeti extractionem admiſit. Mater fauſtum habuit puerperium, et una cum infante ad hunc uſque diem optima fruitur ſanitate.

CAPUT LXIV.

PARTUS, UNICO PEDE PRAEVIO, ET AD MALLEOLUM USQUE JAM E VAGINA PROMINENTE, ABSOLUTUS, TANQUAM PARTUS AGRIPPARUM IMPERFECTUS.

Die xv Martii anni 1804, ipſa media nocte ad illuſtrem Princip. Alexandram Petri filiam V—ſ—ſky, vocatus ſum. Adfuit obſtetrix vetula M——f, quae mihi enarravit, pedem eſſe praevium. Exploratione inſtituta revera eumdem, ad malleolum uſque e vagina jam prominentem inveni. Attraxi illum itaque ſecundum leges artis, et partu agripparum imperfecto, infantem vivum et ſanum abſque difficultate, eduxi. Mater puerpera, quae

jam pridem me praefente partum naturalem ediderat, etiam nunc fauftum habuit puerperium, et priftinam recuperavit fanitatem.

Caput LXV.

Calcaneus unius pedis in sumitate vaginae tactui oblatus, caput infantis quodammodo obstetrici mentitus est. Hic partus in agrippinum perfectum mutatus, et tanquam talis, feliciter absolutus est.

Foemina nobilis Elis. Alex. K—l—fin die xiii Maji anni 1809 partus dolores percepit. Obftetrix Kr—r, partem duram et offeam exploratione inftituta praeviam invenit, quam pro capite infantis habuit, adeoque partum naturalem inftare, enunciavit. Nihilominus tamen dolores admodum inertes obfervabantur, et ipfe partus admodum retardatus eft, ut maritus auxilii ferendi gratia ad me mitteret. Adeunti mihi et exploranti, per tactum fe obtulit pars praevia utique dura, fed acuta et minus globofa, quam caput infantis effe folet. Dum vero digitum indicem altius imitterem,

detexi plicam, et angulum acutum ſatis diſtinctum, quem pes cum crure format, et ideo nunc cognovi tandem, corpus illud durum cum ſumitate acuta, nihil aliud eſſe, quam *calcaneum* unius pedis. Iuſſi, ut parturienti debitus ac commodus ſitus conciliaretur, et manu dextra immiſſa, attraxi pedem ſiniſtrum. Quaeſivi jam alterum dextrum eumque ſocio adjunxi et nunc abſque magna difficultate infantem vivum et toroſum, lege artis eduxi, qui verò morbo affectus, per duas tantum hebdomades vixit. Mater autem puerpera penitus convaluit.

Caput LXVI.

Partus, utroque pede praevio cum unâ manu, tanquam agripparum perfectus, felici successu terminatus.

Die IV Junii anni 1804 uxorem ſartoris pauperis adii, qui enixe me rogavit, ut parturienti huic opem ferrem. Uterque pes infantis praevius fuit in ſumitate vaginae. Interpoſui itaque digitum medium inter malleolos utriusque pedis et inter

levissimam attractionem factam, haud parum miratus sum, apparuisse etiam una cum pedibus manum infantis. Hanc non reposui, sed continuata pedum secundum praecepta artis extractione, partus agrippinus perfectus a me, felici successu absolutus est. Ob praevium jam unum brachium, opus fuit, ut alterum tantum solveretur, et ipse partus facili modo terminatus est.

VERSIO INFANTIS ARTIFICIALIS

A) OB BRACHIUM PRAEVIUM

In ea opinione me esse profiteor, partus illas species, quibus infans situm habet praeternaturalem ob brachium praevium, in urbe nostra minus frequenter observari, et minus funesto modo terminari, inter primarios civium ordines, quam inter vulgus. Mulieres enim ex plebe non semper inter partus dolores in auxilium vocare solent obstetrices doctas et publica auctoritate constitutas, quae, utique in incipiente partu, statim potuissent vel versionem instituere et eo ipso funestas sequelas avertere, ex situ ejusmodi infantis praeternaturali oriundas, vel saltem juvamen obstetricatoris debito tem-

pore implorare. Fit adeoque inde, ut mulierculae imperitae; quae functione obftetricis abutuntur, cunctando et celando fauftum partus eventum impediant, vel crudeli temeritate, manum integram et antibrachium, ad humeri fumitatem ufque attrahant, donec brachium lividum evadat, et infans mortuus ipfius matris vitam manifefto periculo exponat. Per fe jam patet, quam arduum fit tunc obftetricatoris munus, et quam anceps operationis fucceffus, fi elapfo jam uno vel altero die, eo ipfo tempore ille tandem in auxilium vocatur, quo vires parturientis jam exhauftae obfervantur, vel proles ipfa in finu matris extincta invenitur (*).

(*) In illo partu, quo brachium praevium invenitur, *praeparatio* ita dicta *manualis*, (qua caput infantis ad fundum uteri ufque repellere fuadent obftetricatorum nonnulli), defideratum effectum non praeftat, fed potius plerumque noxia evadit, prouti ipfe, experientia edoctus, pluries expertus fum. Sufficit itaque, partem praeviam tantum ad latus movere, quantum opus eft, ut manus obftetricatoris commode pedes attingere, eofque prehendere poffit. Videatur *meritiffimi Boer Abhandlungen und verfuche geburtshülflichen Inhalts. Wien* 1804. V. *Kapittel* NEC NON CLARISSIMI *Elias von Siebold Lucina* I. B. I. Stück pag. 113.

Caput LXVII.

Brachium infantis per biduum jam praevium et lividum. Infans, versione instituta, eductus est mortuus, mater vero penitus convaluit.

Die XXII Maji anni 1796 adii parturientem pauperem quamdam, in domo Rt—eff degentem. Situs infantis fuit praeternaturalis, et brachium finiftrum ejus, ab imperitis mulieribus adftantibus, reprehenfibili temeritate, ad axillas ufque extractum, per biduum lividum ac frigidum evafit. Dolores ad partum ceffarunt fere, aeque ac infantis motus, vires autem parturientis adhuc conftabant. Sufcepi verfionem infantis artificialem, fecundum leges artis; pedes infantis ex fumitate fundi uteri non fine magna difficultate eduxi (quoniam liquore amnii jam diu effufo uterus fupra manum immiffam firmiter contrahebatur), et tandem truncum et caput infantis mortui atque jam putridi extraxi. Matris valetudinem et vitam per integram hebdomadem fufpectam habui, ob febrim continuam fupervenientem, cum maxima virium proftratione. Nihilominus tamen, adhibitis remediis analepticis

et roborantibus, tandem convaluit et ipſa poſtea meam domum adiit, ut gratias de auxilio allato ageret.

Caput LXVIII.

Brachium infantis, una cum funiculo umbilicali frigido, praevium. Mater, versione instituta, servata est.

Mulier quaedam in domo Leb—neff degens, die XVII Octobris anni 1796, partus dolores primos percepit, liquor amnii effluxit, et manus in orificio uteri praevia tactui ſe obtulit. At enim vero, quamquam ſitus infantis eſſet praeternaturalis, neque ad obſtetricem quamdam peritam, neque ad obſtetricatorem miſerunt adſtantes. Sic integer dies elapſus eſt, et media nocte exacta, imperitis manibus brachium infantis, ad ſumitatem humeri uſque, extractum eſt, non abſque maxima vi adhibita, dum corpus infantis leviorem attractionem ſequi noluerat. Eo ipſo tempore etiam funiculus prolapſus eſt, qui

pariendi difficultatem adhuc auxit. Tandem, altero inſequente die XVIII Octobris, auxilium meum imploravit parturiens. Inveni funiculum e genitalibus prominentem, abſque ulla pulſatione, et frigidum, nec non brachium tumefactum et diſtortum. Facili conjectura vidi, infantem hunc vivum eſſe minime poſſe, et revera, verſione non abſque difficultate inſtituta, mortuum illum extraxi. Mater autem fauſtum habuit puerperium.

Liceat mihi jam hoc loco addere, me progreſſu temporis aliquot ſimiles ejuſmodi caſus in praxi mea obſervaſſe, quibus brachium infantis fuit praevium, et infans jam ante aditum meum exanimis. Verſione inſtituta, ſalva matris ſaltem vita, partus terminatus eſt, et quidem:

I. Die III Februarii anni 1797 in muliere quadam, quae in domo generoſiſſimi Rſch—ſky degebat.

II. Die XXI Ianuarii anni 1799 in domo Oſch—gin.

III. Die XIX Martii anni 1800 in muliere quadam paupere, ad quam me vocavit obſtetrix M—r. Duo dies jam ab initio partus inde elapſi

fuerunt, et ipſa puerpera, febri aegre decumbens, non ſine maxima difficultate in vivis ſervari potuit.

CAPUT LXIX.

MANUS INFANTIS PRAEVIA IN PARTURIENTE, QUAE ABSQUE MORA AUXILIUM QUAESIVIT. HAEC, PER VERSIONEM STATIM INSTITUTAM, NON SOLUM SERVATA EST, SED IPSE INFANS ETIAM VIVUS MANSIT.

Mulier quaedam, in domo excellentiſſimi, non ita pridem defuncti Archicamerarii Principis G——n degens, die XII Octobris anni 1800 partus inſtantis prodromos hora matutina octava ſenſit. Liquor amnii hora undecima antemeridiana efſluxit, et nunc manus infantis praevia in orificio uteri obſervata eſt. Haud parum adminiculo huic parturienti fuit chirurgus illuſtriſſimi Principis, qui urgentem neceſſitatem verſionis inſtituendae intellexit, et ſtatim ad me miſit. Adii parturientem hora ſecunda pomeridiana, et non tantum manum,

ſed etiam brachium, vi dolorum protruſum inveni, non vero lividum, neque attractione a manu quadam imperita tumefactum, ſed habitus ac coloris naturalis. Accinxi me itaque abſque mora ad verſionem, et pedibus prehenſis extraxi infantem *vivum*. Mater puerpera, de reliquo ſana, in puerperio nullis affectibus morboſis inſolitis vexabatur, ſed priſtinam recuperavit ſanitatem.

Caput LXX.

Versio feliciter instituta infantis vivi in parturiente, in qua brachium praevium fuit.

Excellentiſſimus Petrus Nicolai Filius Sch——ff, die IX Septembris anni 1800 hora matutina ſexta ad me miſit, ut opem ferrem parturienti cuidam in domo ejus degenti, in qua brachium infantis praevium tactui ac viſui ſe obtulit. Adfuit obſtetrix perita, quae juſſit, ut abſque mora auxilium meum imploraret ejuſdem domi herus. Inveni etiam ibidem Chirurgum K—neke, et eodem praeſente, verſio infantis, qui praeter-

naturalem ejusmodi situm habuit, a me instituta est, et faustissimo quidem successu. Cum mater enim puerpera, tum infans neonatus vivus, perfecta sanitate, post operationem absolutam, fruebantur.

Caput LXXI.

Brachium praevium in gemello secundo, postquam alter primogenitus naturali partu exclusus fuerat. Versio felici pro matre successu instituta, et infans ipse vivus extractus est.

Foemina nobilis Rub—kin auxilium meum imploravit die IV Augusti anni 1797. Obstetrix primum gemellum, qui debitum ac naturalem situm habuit, naturae viribus in lucem editum, debita ratione excepit. Elapso vero circiter dimidiae horae spatio, liquor amnii alterius infantis effluxit, et nunc manus ipsius praevia observabatur. Obstetrix hanc intactam reliquit, et statim me in subsidium vocavit. Pedes infantis absque mora quaesivi, et iisdem prehensis, eduxi infantem vivum. Mater faustum habuit puerperium.

Caput LXXII.

Parturiens, gangraena ante aditum meum affecta, in qua brachium per tres dies jam lividum praevium fuerat, versione quamquam instituta, in vivis servari non potuit.

Die IV Martii anni 1797 ab obſtetrice M—ll—r ad miſeram quamdam parturientem vocatus ſum, quae in domo Kal—ſcheff degebat. Haec ante tres abhinc dies primos partus dolores perceperat; brachium praevium rudibus ac imperitis mulierum adſtantium manibus, ad ſcapulam fere uſque, maxima vi allata extractum, et ita diſtortum fuit, ut in omnes plagas mobile factum eſſet, praeterea lividum, frigidum et putredine inquinatum. Die praecedenti jam omnes dolores ad partum ceſſarant, et ob ſtatum conclamatum, ſacra in aegrota adminiſtrata fuerunt. Nunc tandem, id eſt poſt triduum elapſum, me in auxilium vocavit obſtetrix, quae utique eodem tantum die accerſita fuerat. Inveni parturientem in ſtatu gangraenae manifeſtae. Extremitates ſubfrigidae, pulſus undulans atque debilis, labia oris et ungues colore ſubcoe-

ruleo, et mens in eadem fingulari ftupore alienata erat. Non reticui, in hoc ftatu conclamato, nec minimam fpem adeffe pro vita, neque matris neque infantis. Attamen ne mater una cum infante in utero adhuc contento fepeliatur, infantem verfione inftituta eduxi putridum, qui cadaverofum foetorem, poftquam extractus fuit, longe lateque fpargebat. Mater vero eodem die horis vefpertinis obiit.

Similis cafus in praxi mihi oblatus eft die XIII Septembris anni 1795 in muliere quadam, quae in domo mercatoris Nafch—coff degebat. Siniftrum brachium ad axillas ufque lividum propendebat, et infans, verfione extractus, putredine jam confumptus erat.

Nec non, die XIII Iunii anni 1797, ejufmodi fere obfervationem in ferva Principis O — sky inftituere licuit. Haec ante tres jam dies gemellos in lucem ediderat, quorum primogenitus naturalem habuit fitum, alter brachium obtulit praevium, a mulierculis imperitis externe protractum et diftortum, cum epidermidis feceffu. Infans verfione eductus eft putridus, et mater febri putrida extincta.

VERSIO,

B) OB SITUM INFANTIS TRANSVERSALEM.

Caput LXXIII.

Situs infantis transversalis, ob abdomen praevium. Versione instituta, puer eductus est vivus et sanus.

Uxor mercatoris P—p—w, filia alius et opulenti quidem Pr—ſw—n, primo infante gravida, die VII Novembris anni 1796, in auxilium vocavit obſtetricem C—b—g. Exploratione inſtituta inter primos partus dolores, obſtetrix nullam partem praeviam eſſe invenit. Nihilominus tamen de fauſto partus ſucceſſu et de capitis deſcenſu futuro non dubitavit, dummodo veſica liquore amnii plena diſrupta eſſet. Sic duodecim horae a primo partus initio inde elapſae ſunt, et nunc tandem liquor amnii effluxit. Verum enim vero loco capitis, abdomen potius praevium inventum eſt, quare ſtatim auxilium meum imploravit. Adeuns parturientem et in ſtatum ejus accuratius inquirens, obſervavi, ſitum infantis eſſe tranſverſalem, et abdomen prae-

vium. Sufcepi verfionem, et integra manu dextra in uterum immiffa genu pedis finiftri, in finiftro matris latere inveni, evoluto pede illum et deinde alterum dextrum arripui, et fic puerum eduxi vivum, fanum et torofum. Mater ipfa fauftum habuit puerperium.

CAPUT LXXIV.

SITUS INFANTIS TRANSVERSALIS, QUO PEDES IN SINISTRO MATRIS LATERE REPERIEBANTUR. VELAMENTA OVI ARTE DISRUPTA SUNT, ET VERSIONE INSTITUTA, INFANS SANUS EX UTERO EDUCTUS EST.

Die VIII Maji anni 1800 hora vefpertina nona ad me mifit obftetrix D—m—th, ut auxilium praeftarem parturienti foeminae nobili Rafch—off. Inveni orificium uteri ad trium pollicum magnitudinem jam apertum, veficam liquore amnii plenam inter dolorem tenfam, et nullam partem praeviam, quae accurate diftingui et cognofci potuiffet. Quare ceffante dolore, digitum pro exploratione immiffum, non extraxi, fed collapfis

jam nunc velamentis ovi , iterum in ſitum infantis accuratius inquirere, omnibus viribus allaboravi. Detexi jam ceſſante dolore digito altius immiſſo, in matris latere ſiniſtro phalanges pedum, et manus externe abdomini applicata, extra omne dubium poſuit, corpus durum globoſum, id eſt infantis caput, in dextro latere matris inveniri. Quae cum ita eſſent, facili conjectura colligi potuit, infantem ſitum habere tranſverſalem, et pedes ipſius in dextro latere matris quaerendos eſſe. Hac diagnoſi ſtabilita, conſtitui, verſionem ſuſcipere, ante veſicae ſpontaneam diſruptionem. Introduxi itaque integram manum dextram in uteri cavum, et eo ipſo momento, quo velamenta ovi a me diſrupta ſunt, penetravi in vacuum illud ſpatium poſt liquoris amnii effluxum relictum, quaeſivi et facili opera inveni pedes in eodem ſiniſtro matris latere, et iisdem prehenſis, truncus infantis educebatur, deinde brachia ſolvebantur et tandem caput extricatum eſt ſecundum regulas artis, inter verſionis negotium obſervandas. Infans, in maximum meum et parentum gaudium, erat vivus, et ipſa puerpera penitus reſtituebatur.

CAPUT LXXV.

DORSUM INFANTIS PRAEVIUM. VERSIONE INSTITUTA, ILLE VIVUS EXTRACTUS EST.

Die I Iunii anni 1800 hora vefpertina octava, adii uxorem pharmacopoëi A. I. St—l. Partus dolores ante tres horas initium coeperant, et quamquam orificium jam fufficienter fuerit apertum, caput tamen infantis neque inter neque poft dolorem detegi potuit. Tandem ex inopinato vefica liquore amnii plena fponte difrupta eft, et exploratione repetita, dorfum infantis, cum inferiori trunci parte et offe facro praevium, tactui fe obtulit. Inanis fuiffet fpes, cunctando naturalem ac facilem partus exitum expectare, dum fitus infantis effet transverfalis. Quare abfque mora, pedes infantis quaefivi, et unico eorum prehenfo, partum tanquam agripparum imperfectum abfolvi. Puer erat vivus, qui autem per feptem tantum dies vixit. Mater vero convaluit, et progreffu temporis iterum partum edidit.

Caput LXXVI.

Situs infantis transversalis, abdomine praevio, et insimul tumor scirrhosus in vagina. Versio artificialis infantis vivi, felici successu, instituta est.

Excellentiſſima et generoſiſſima B——coff, mater jam ſeptem infantum vivorum, die xxv Octobris anni 1800 hora media nocturna, auxilium meum imploravit. Huic, dum primo infante quondam gravida eſſet, ob lenteſcentem partum, forceps obſtetricia ab alio obſtetricatore peritiſſimo applicata fuerat, eidemque remanſit tumor in pariete dextra vaginae ſcirrhoſus, externe prominens, qui tamen, progreſſu temporis, inter plures partus editos nunquam impedimento fuit. Obſtetricator ipſius B — n illam hac nocte adire non potuit, cum eodem ipſo tempore apud aliam parturientem K — v — n detentus eſſet. Prima vice nunc ad illam vocatus, haud parum miratus ſum, neque caput neque aliam qualemcunque infantis partem praeviam reperiri, et inſimul adeſſe tumorem hunc ſcirrhoſum inſolitum in vagina. Nulla adfuit obſtetrix, quia generoſiſſima haec parturiens, a primo ipſo inde partu

edito, omnem fidem obftetricibus denegaverat et partum multiplicem progreffu temporis, abfque illis, cum medico obftetricatore tantum praefente, edere affueta erat. Orificium uteri penitus fuit deterfum, et verfio artificialis infantis, ob fitum ejus tranfverfalem, inevitabilis. Quare conftitui, difrumpere velamenta ovi, priufquam liquor amnii fponte effluxit. Pedibus prehenfis, abfque ulla difficultate, extraxi puellam vivam, quae ad hunc ufque diem optima fruitur fanitate. Ipfa mater, adhuc viva et fana, non tantum fauftum habuit puerperium, fed progreffu temporis, bis partum iterum edidit naturalem. Filius ejus aetate major, non ita pridem matrimonium iniit, et partui uxoris ejus mihi intereffe contigit die XXIII Iunii anni 1809.

Caput LXXVII.

Versio infantis, ob dorsum infantis praevium, felici successu instituta, in foemina, quae clandestinum partum edidit.

Vocatus fui die v Septembris anni 1803 ad foeminam quamdam . . . ., quae apud mercatorem Gallum — p — y, domicilium habuit. Illa furtivo amore gravida facta erat, et nunc partum edidit clandeſtinum. Adfuit obſtetrix, quae mihi commemoravit, caput praevium non inveniri, et partus dolores minus efficaces, per xii jam horas, vexare parturientem.

Exploratione inſtituta, inveni dorſum infantis praevium, et orificium uteri in omnes plagas deterſum et apertum, cum veſica prominente. Quare abſque mora, ſtatim poſt aditum meum, verſionem ſuſcepi, et pede utroque prehenſo, infantem extraxi vivum. Operatio itidem nec minimam difficultatem habuit, quia liquor amnii nondum effluxerat. In genere enim pluries obſervavi, et me perſuaſum adeoque habeo, verſionem ſemper faciliori ratione inſtitui poſſe, ſi eodem ipſo momen-

to, quo obstetricator velamenta ovi disrumpit statim etiam pedes quaerit. Alius vero erit successus, si cunctando, spontaneam vesicae disruptionem, amnii effluxum et uteri contractionem expectare vellet, in quo casu manus immissio pro parturiente est magis dolorosa, et versio infantis difficilior. Foeminae hujus, cujus partum modo commemoro, in puerperio curam gessi, quae illibata ac fausta ad hunc usque diem fruitur valetudine.

Caput LXXVIII.

Situs transversalis infantis, et abdomen cum funiculo umbilicali praevium, in foemina, quae per tres hebdomades febri continua laboraverat. Versione instituta, cum mater servata, tum infans sanus in lucem editus est.

Foemina e nobili stirpe nata, uxor excellentissimi Senatoris T. I. L——ff, versus finem mensis Iulii anni 1807, octavo mense gravida, a refrigerio perpesso, febri acuta, cum affectibus inflammatoriis pectoris, correpta est. Statim

advocatus, omnem curam in eo posui, ut debita cura morbo obex poneretur, neque absque felici successu. Quamquam enim aegrota graviter per tres hebdomades decumberet, attamen pristinam recuperavit sanitatem, et licuit mihi partum praematurum, quem ob acumen morbi in initio morbi ipse verebar, avertere, ita ut aegrota, restituta sanitate, graviditatem ad debitum novemmestrem terminum usque absolvere posset. Exacto jam eodem, primos partus dolores percepit die XVIII Septembris, anni 1807, hora vespertina septima. Nunc tandem evidenter conspicuum erat, morbum illum acutum praegressum, qui partum praematurum non produxerat, alium adversum effectum pro parturiente habuisse. Infans enim non naturalem, sed transversalem obtulit situm, in eadem foemina, quae per septem jam vices quondam infantem, capite praevio, in lucem ediderat. Obstetrix ejus M—hl—z itaque, ob praeternaturalem hunc partum instantem, media ipsa nocte ejusdem diei, auxilium meum imploravit. Inveni orificium uteri apertum et quaquaversum detersum, nec non abdomen infantis praevium. Manui mihi inferenti, praevius etiam se obtulit funiculus umbilicalis infantis, quem ad latus dimovi, ut ab omni compressione illum intactum atque immunem

ſervarem, et nunc abſque mora pedes infantis quaeſivi, iiſdem protractis, *puellam vivam eduxi,* quae ad hunc uſque diem ſana ac vegeta cernitur. Puerpera, quae ſemper partus priores cum obſtetrice ſola ediderat, et nunc ob aditum meum initio quam maxime animo fuit perturbata, abſoluto feliciter partu, propenſam voluntatem ſuam poſtea pluries mihi monſtravit, neque ad hunc uſque diem ceſſat, me dilectione atque amore qualicunque proſequi.

CAPUT LXXIX.

VERSIO INFANTIS, SITUM TRANSVERSALEM HABENTIS, NON ABSQUE DIFFICULTATE, PERACTA, QUIA LIQUOR AMNII ANTE PARTUM IPSUM, ANTE XIX JAM HORAS, EFFUSUS FUERAT.

Uxor pharmacopolae E— t, hora quarta matutina die XXXI Decembris anni 1807, praematurum liquoris amnii effluxum, abſque ullis doloribus, percepit. Exploratione inſtituta, nulla pars infantis praevia exacte diſtingui potuit, et eo minus quidem, cum orificium uteri vix ad pollicem

unum apertum inveniretur. Ob hanc adeoque cauſam neceſſitate coactus fui expectare, uſque dum os uterinum penitus eſſet deterſum, et ſic totus fere dies elapſus eſt doloribus ad partum, admodum parvis et rariſſime redeuntibus. Tandem verſus veſperem nixibus editis orificium magis aperiri coepit, et nunc hora undecima manum integram utero inferre, pedes quaerere et infantem ex ſitu tranſverſali per verſionem artificialem extrahere, mihi contigit. Silentio tamen praeterire non poſſum, quamquam infans vivus eſſet et adhuc ſanus, nec non ipſa puerpera fauſtum haberet puerperium, verſionem tamen hanc, non abſque difficultate, inſtitutam a me fuiſſe. Liquor amnii enim per XIX jam horas, ante debitum tempus, excretus erat, uterus circa corpus infantis firmiter contractus, (ita ut vix manus intromiſſionem admitteret) et ipſe infans, inter verſionem, compreſſionem qualemcunque perpeſſus eſt. Ob hanc rationem in initio aſphycticus fuit. Verum enim vero, poſtquam aqua frigida ſcrobiculo cordis affuſa, et aër naribus inflatus fuerat, iterum in vitam facile revocatus eſt, et ad hunc uſque diem optima fruitur valetudine. Mater poſtea iterum partum, et naturalem quidem, edidit.

Caput LXXX.

Versio inter partum facilis, in situ infantis transversali, liquore amnii non ita pridem effuso.

Foemina nobilis M. St. M—ltſch—ff, plurium infantum mater, partus dolores leviores percepit die IX Decembris anni 1808 hora pomeridiana ſexta. Jiſdem auctis orificium incoepit aperiri, et veſica, liquore amnii plena, tendi. Caput vero per digitum explorantem non potuit praevium tangi. Quare obſtetrix Tr—sky, hora decima veſperna, me in ſubſidium vocavit. Veni hora undecima audita, et audivi, liquorem amnii ante aditum meum, inter nixum validiorem editum, vix ac ne vix quidem ſponte effuſum eſſe. Exploratione inſtituta, nullam partem infantis manifeſte praeviam inveni, ſed potius cognovi, ſitum ejus eſſe transverſalem. Quare abſque mora pedes infantis quaeſivi et iisdem prehenſis, facili negotio puerum eduxi *vivum*. Mater optime et brevi quidem tempore convaluit.

Similem ejuſmodi caſum anno 1801 menſe Novembris, in uxore Angli M—x, mihi obſervare contigit. Obſtetrix M—z, ob ſitum infantis transverſalem, auxilium meum imploravit. Verſione inſtituta facile eduxi infantem vivum ex utero matris, quae novem habuit liberos, et omnes quidem ſanos ac bene valentes, et quae progreſſu temporis iterum peperit, et adhuc in vivis eſt.

Caput LXXXI.

Partus gemellorum, quorum primus situm in utero habuit naturalem, et a natura sponte in lucem editus est, alter vero gemellus dorsum praevium obtulit, et versione vivus extractus est.

Die xv Octobris anni 1797 hora veſpertina ſexta, uxor generoſiſſimi Liberi Bar. A—h—m, facilem ac naturalem partum pueri edidit. Adfuit obſtetrix H—r, quae cum partum gemellorum obſervaret, auxilii ferendi gratia me vocavit. Alter frater gemellus ſitum in utero habuit tranſverſalem et dorſum in orificio praevium obtulit. Verſio in-

fantis alterius, dum primogenitus jam exiit, facillima fuit, et uterque eorum vivus mansit. Puerpera vero ab animi commotione quadam febrim accepit continuam, et aegre decubuit neque sine magna difficultate in vivis servata est. Progressu temporis vero mater plurium infantum evasit.

CAPUT LXXXII.

UTERQUE GEMELLUS, OB SITUM IN UTERO TRANSVERSALEM, VERSIONE VIVUS EXTRACTUS.

Uxor artificis germani S—nl—n, prima vice gravida, partu jam incipiente me in auxilium vocavit die xxx Ianuarii anni 1798. Orificium longe lateque apertum, vesica liquore amnii plena, et cessante dolore, nulla pars infantis manifeste praevia a me inventa est. Quare velamenta ovi disrupi et ob situm infantis transversalem unum, et deinde, ob eamdem rationem, alterum infantem vivum per versionem eduxi. Cum mater, tum gemelli, ad hunc usque diem, optima fruuntur valetudine.

Caput LXXXIII.

Partus gemellorum, quo infans unus a natura vivus in lucem editus, alter autem versione mortuus extractus est.

Die xv Ianuarii 1804 ad uxorem Protochirurgi D—vocatus fum, quae infantem unum facili negotio fponte pepererat, altero gemello, ob fitum in utero tranfverfalem, moram agente. Quamquam verfio artificialis fecundum leges artis a me ftatim fufcepta, et facili negotio alter gemellus eductus effet, tamen ille vivus manere non potuit, quoniam longius, quam par eft, temporis intervallum elapfum fuerat, poft partum gemelli primogeniti, priufquam auxilium meum quaefiverat parturiens. Haec tamen priftinam recuperavit fanitatem, et adhuc bene valet.

CAPUT LXXXIV.

SIMILIS PRIORI CASUS, INFANTE PER VERSIONEM EXTRACTO, VIVO.

Foemina nobilis a R—l, die XXVI Maji anni 1804, ad me misit, ut ipsi inter partus labores opem ferrem. Adfuit obstetrix R—ch, quae mihi retulit, situm infantis esse naturalem, et caput debito modo praevium. Ipse partus naturalis naturae viribus sponte absolutus est, verum enim vero, dum nunc tandem explorationem instituerem eo consilio, ut de secundinarum solutione certior fierem, inveni, alterum adhuc inesse gemellum, cujus vestigia, quoad partem qualemcunque praeviam, nulla animadverti potuerant. Expectavi novos partus dolores, et vesicae spontaneam dirruptionem. Funiculus umbilicalis praevius apparuit. Quare absque mora pedes infantis quaesivi, et versione instituta, infantem alterum vivum eduxi. Mater penitus convaluit.

Caput LXXXV.

Alter gemellus in partu, versione facile quidem extractus, sed mortuus est, ob funiculum praevium et frigidum.

Die xxiii Martii anni 1809 hora ſeptima veſpertina, uxor excellentiſſimi Senatoris P. P. N—n auxilium meum imploravit, quae hora pomeridiana tertia partum infantis vivi ediderat. Quatuor jam horae poſt hunc partum elapſae fuerunt ante aditum meum, et cum veſica diſrupta eſſet, funiculus umbilicalis ſtatim prolapſus, et externe viſibilis factus eſt. Parturiens animo ſummopere erat commota, et in initio noluit conſentire, ut medicus obſtetricator advocaretur. Ob compreſſionem funiculi, pulſatio in eodem plane intercepta eſt, ita ut adeuns, eum plane jam frigidum invenirem. Nullum fuit dubium, infantem jam eſſe mortuum, illumque ſitum habere in utero tranſverſalem. Verſionem itaque ſtatim abſque mora ſuſcepi, et facili negotio eduxi alterum gemellum mortuum. Duplex placenta moram egit, cujus hiſtoria enarrata eſt ſupra capite lix.

VERSIO INFANTIS
C) OB FUNICULUM UMBILICALEM PRAEVIUM.

Videatur Caput XXXVII, LXXXV, XXXIII, XXXIV, XXXV, XXXVI.

VERSIO INFANTIS
D) OB CONVULSIONES EPILEPTICAS PARTURIENTIS.

Videatur Caput XXV, XXVI, XXVII, XXVIII. et f. p.

VERSIO INFANTIS
E) OB PLACENTAM IN ORIFICIO UTERI PRAEVIAM.

Videatur Caput XXXVIII, XXXIX, XL, XLI, XLII, XLIII, XLIV.

VERSIO INFANTIS F) OB NATES PRAEVIAS.

Verfio infantis artificialis in illo tantum cafu fuscepta eft, quo nates in fuperiorem pelvis aperturam oblique, vel diametro naturae normae oppofita, intrarunt, et doloribus ad partum cesfantibus, diutius, quam par eft, moram egerunt. Maxima vero ex parte partus clunibus praeviis, fi illae medium vel inferius pelvis cavum attigerunt, naturae commiffus fuit, prouti ex infra dictis clarius elucefcet.

Caput LXXXVI.

Versione partus feliciter absolutus, quo nates in pelvis aperturam superiorem, ad directionem diametri conjugatae, intrarunt.

Die xxviii Octobris anni 1796 tribunus militaris P—ken me rogavit, ut uxorem fuam parturientem adirem. Foemina fuit triginta quinque

circiter annorum, quae habitum corporis obtulit obesum, et pluries jam partum quondam ediderat. Adfuit obstetrix L — b — cht, quae mihi commemoravit, integrum fere hunc diem, post liquoris amnii effluxum, inter vehementissimos partus labores absque successu praeterlapsum esse. Exploratione instituta inveni, nates in apertura pelvis superiori praevias esse, et ita quidem, ut directionem haberent diametri conjugatae. Neque diagnosis erat difficilis, dum fissura natibus intermedia statim se tactui offerret, et meconium infantis digitum explorantem commacularet. Constitui in initio expectare, quid natura sola pro mutando hoc situ praeternaturali atque acceleratione partus praestare valeret. At enim vero doloribus satis valide urgentibus, pars infantis praevia non promovebatur, neque absque evidenti causa et manifesta. Nates enim majori sua dimensione, in diametrum minorem seu conjugatam pelvis, intrare non potuerant, quamquam nixus vehementissimos ederet parturiens. Hanc ipsam aeque ac maritum, ob insolitam moram partus, animo vehementer perturbatos inveni, et cum dolores essent inanes, pelvis satis ampla, et situs infantis admodum iniquus, constitui, versione instituta, miseram hanc parturientem ab infante liberare. Immisi itaque manum meam

dextram utero, et quaefivi arripuique pedem infantis unum et deinde alterum, atque per verfionem artificialem feliciter eduxi puerum vivum, fanum et torofum. Mater fauftiffimum habuit puerperium, quamquam plures diaetae errores, praecipue quoad victum minus eupeptum, comififfet.

Non negaverim utique, hunc partum diutius cunctando, forfan etiam fponte a natura potuiffe natibus praeviis, abfolvi. Verum enim vero integer jam dies inter validiffimos dolores abfque fucceffu elapfus fuerat, et me accufandum effe mihi videor, fi pro accelerando partu, et mitigandis cruciatibus fruftraneis, tanquam otiofus fpectator illud medium adhibere noluiffem, quod tamen promptiffimum et innoxium effe, experientia demonftrat (*).

(*) Alia enim eft res in praxi privata, alia in nofocomiis puerperarum. Quare non ita mirum mihi videtur, fi in his ille partus etiam naturae committeretur, quem in praxi privata accelerare jubet et maritus, et adftantes, et praecipue pia humanitatis vox.

CAPUT LXXXVII.

PARTUS NATIBUS PRAEVIIS, QUO PEDES CRUCIATIM OSSIBUS PUBIS ADLIGATI ERANT, VERSIONE FELICITER TERMINATUS.

Mercatoris M—tr—noff uxor, fecunda vice gravida, hora matutina octava die III Ianuarii anni 1797, inter partus labores, quibus orificium uteri penitus apertum eft, fpontaneum liquoris amnii effluxum percepit. Obftetrix vetula non admodum perita C—d—rg nates praevias pro capite infantis habuit, et ideo partum facilem ac naturalem fore, enunciavit. At enim vero meconium evacuatum, vehementiffimi dolores, abfque fructu continuantes, nec non partus ipfe, ad feptimam horam vefpertinam ufque fruftra expectatus, obftetrici, marito et adftantibus agnatibus, metum intulerunt. Quare tandem vefperi in auxilium vocatus fum. Inveni nates in fuperiori pelvis apertura praevias, et dum altius manum immitterem, pedes cruciatim offi pubis adligatos. Prehendi itaque illum pedem, qui fuperiorem locum occupavit, et eo ipfo alter fponte priori junctus evafit. Partum terminavi fauftiffimo pro matre et infante fucceffu, tanquam agripparum perfectum.

Caput LXXXVIII.

Partus per unum diem cum dimidio protractus, ob nates in apertura pelvis superiori immobiles. Infans versione eductus est.

Mulier quaedam in domo illuſtriſſimi Principis M. I. Ch——ff, inanibus partus doloribus per integrum diem x Maji anni 1798 vexabatur, quamquam pelvis ipſius inveniretur bene formata, et liquor amnii ab ipſo partus initio inde effuſus eſſet. Status idem ad horam ſecundam pomeridianam uſque alterius diei (xi Maji) continuavit , quo tempore tandem ad me miſit ipſe Princeps. Exploratione inſtituta obſervavi, nates in ſumitate pelvis immobiles inveniri. Quare ob vires parturientis exhauſtas conſtitui, pedes quaerere. Neque hoc cum difficultate peregi, ſed ad leviſſimam eorum attractionem, cum truncus tum caput infantis, facili opera exierunt. Probabiliter vero a compreſſione funiculi umbilicalis vita infantis diſcrimini oblata fuerat. Puer enim mortuus erat, et epidermidis ſpontaneus ſeceſſus demonſtravit, illum jam diu ante partum editum exanimem fuiſſe. Mater convaluit.

Caput LXXXIX.

Versio, ob nates infantis oblique in aperturam pelvis superiorem intrantes, felici successu, instituta.

Die VI Iunii anni 1798 uxor mercatoris Serg. Mich. G—ſ—coff, quae mater jam plurium fuerat infantum, me in auxilium vocavit. Dolores ad partum inertes diu abſque effectu continuaverant et nunc tandem, poſt veſicae diſruptionem ſpontaneam, et meconii evacuationem, obſtetrix M—g—f vidit, non caput, ſed nates praevias eſſe. Suſcepi ſtatim explorationem et facile detexi, non utraſque nates, ſed unam earum tantum, et oblique quidem, in pelvis ſuperioris medium intrare. Ut itaque partus per minores ambages et citius, in miſerae parturientis levamen, terminari queat, verſione inſtituta, pedibus infantem vivum eduxi. Mater optime in puerperio valuit, et ad hunc uſque diem, fauſta fruitur ſanitate.

Similem partum, eodemque felici ſucceſſu, mihi terminare contigtt die 20 Iunii anni 1804 in muliere, quae in domo illuſtriſſimae comitiſſae A. N. P—kin degebat.

Caput xc.

Partus gemellorum, quorum alter natibus praeviis, versione feliciter eductus est.

Parturiens H—g die xxvi Iulii anni 1798 partu naturali unicum gemellum in lucem edidit. Cum primipara esset, et longiori temporis intervallo per partus nixus violentissimos vires exhaustae invenirentur, nec non alter infans diu admodum in utero moram ageret; auxilium meum imploravit maritus, de vita conjugis nunc anxie sollicitus. Observavi nates praevias, et inde partum ipsum diutius, quam par est, retardatum esse. — Quare versione instituta, alterum fratrem gemellum, pedibus prehensis vivum eduxi. Utrique infantes, aeque ac mater, ad hunc usque diem fausta fruuntur valetudine. —

Caput XCI.

Partus, natibus praeviis, versione absolutus, quoniam dolores ad partum, post XVIII horarum intervallum, tandem plane cessarunt.

Die 1 Decembris anni 1801 mulier quaedam, in domo Principis K—l—ky, diu admodum doloribus ad partum vexata fuit, abſque ſperato effectu. Liquor amnii ſtatim in initio effluxit, et mulieres adſtantes imperitae, parturientem per integrum diem rudi manuum contrectatione et ineptis remediis excruciarunt. Partus autem terminari non potuit, cum nates oblique in aperturam ſuperiorem pelvis intrarent, et vires jam nimio modo exhauſtae eſſent, quam ut ſponte hic partus a natura terminari poſſet. Tandem altero die, de infauſto partus ſucceſſu certior factus eſt Princeps, qui me ſtatim advocare juſſit. Ob longam moram partus, et debilitatem aegrotae, conſtitui ſtatim verſione inſtituta ab infante liberare miſeram parturientem. Eodem abſque difficultate educto, omnem operam in eo collocavi, ut infantem, quem aſphycticum credidi, omnibus artis praeſidiis in vitam revo-

carem. At enim vero incaſſum, quoniam infans longiore partus labore extinctus fuerat. Mater ipſa aegre decubuit, et non ſine maxima difficultate in vita ſervari potuit.

Caput XCII.

PARTUS NATIBUS PRAEVIIS. INFANS HABUIT SITUM QUODAMMODO LATERALEM ITA, UT NON SOLUM CLUNIUM ALTERA, SED ETIAM ARTICULATIO ACETABULI TACTUI OBLATA ESSET. VERSIONE INSTITUTA, INFANS VIVUS EXTRACTUS EST.

Die 11 Novembris anni 1802 hora veſpertina nona domum obſtetricis S—ld—n adire debui, qua virgo nobilis quaedam . . . . , clandeſtino amore impraegnata, partus doloribus excruciabatur vehementibus. Ipſe partus initium jam cepit horis matutinis, et hora ſecunda pomeridiana liquor amnii ſponte a natura effuſus erat. Nunc tandem detexit obſtetrix, caput non praevium inveniri. Exploratione inſtituta inveni corpus molle et globoſum in orificio uteri, et digito ad latus altius im-

miſſo, obſervavi etiam, dari plicam inguinalem, cui digitum interponere potui. Ob voluminoſum corpus praevium ſubrotundum et ob meconium, quod inter explorationem manum commaculavit, partem hanc pro clune praevia, et plicam illam pro articulatione femoris in acetabulo habere debui. Quare ob ſitum hunc infantis praeternaturalem, abſque mora manum altius immiſi et pedem infantis unum, deinde alterum et tandem integrum corpus felici ſucceſſu extraxi hora decima veſpertina audita. Puer ſanus ac vegetus, per plures annos ejuſdem obſtetricis educationi commiſſus fuit, cujus curam in variis morbis aetati infantili propriis gerere debui, et qui, quantum mihi notum eſt, ad hunc uſque diem vivit. Non quilibet vero partus natibus praeviis, verſionem admittit, ſaepiſſime enim naturae committi debet (*).

(*) De partu, natibus praeviis, vel verſione vel naturae viribus abſolvendo, videatur Schoenmezel diſs de partu natibus praeviis Heidelb. 1787. Wriſberg diſs. Decas obſerv., de partu, clunibus praeviis. Götting. 1780 in Weiz N. Auſzüge XIV B. p. 87, Murray diſs. in partum praeternaturalem cum clunibus praeviis meditationes. Upſal. 1797. in Rudolphi ſchwediſche annalen I Heft p. 166. Werner in Starke archiv III. B. p. 670. Detharding in Starke archiv. IV. B. p. 301. Boër Abhandlungen geburthſhülflichen innhalts III Theil. (qui ſemper naturae hunc partum committendum eſſe ſuadet) Oberteüffer in Starke neüem archiv. II B. p. 432.

Caput XCIII.

Partus praematurus, octavo graviditatis mense, natibus infantis praeviis, sponte a natura absolutus in parturiente, quae febri continua nervosa laboraverat.

Foemina nobilis O. Sem. B—yn, trium jam infantum mater, octavo dum menſe gravida eſſet, febri correpta eſt nervoſa continua, quam affectus plures convulſivi concomitabantur. Morbus, abſque notabili remiſſione, per tres hebdomades duravit, et eo ipſo tandem tempore, quo aegrota convaleſcens videbatur, partu praematuro ex inopinato, et fauſto omine terminatus eſt. Adeuns igitur aegrotam, cujus curam inter ipſum morbum geſſi, die xvi Auguſti anni 1803 hora undecima matutina, inveni orificium penitus apertum, liquorem amnii effuſum et nates jam in medium pelvis cavum penetrantes. Neque infantis corpus, ob praematuram aetatem, impedimento erat, et factum inde, ut doloribus ad partum ſatis validis ſubortis, puer ſponte a natura in lucem ederetur. Qui tamen, ob teneritatem ſuam et ob morbum praecedentem

matris, quam maxime debilis fuit, neque vitam ſuam ultra triduum protrahere potuit. Mater autem ſanitatem, morbo diuturno labefactatam, per remedia roborantia adbibita, iterum poſtea recuperavit.

Caput XCIV.

Similis priori casus, septimo die, a febris initio inde.

Elis. K. K—ky viginti annorum foemina nobilis, et prima vice ſeptem menſium gravida, dum matri et marito febri continua laborantibus ope ſua ſuccurreret, ipſa tandem per contagium eodem morbo affecta eſt. Septimus jam dies a febris initio inde elapſus erat, cum ſemel ac ſimul de doloribus lancinantibus in dorſo et hypogaſtrio conquereretur aegrota, die XXIV Ianuarii anni 1800. Orificium uteri gradatim magis magiſque apertum eſt, et ſtatim poſt veſicae ſpontaneam diſruptionem, nates infantis per aperturam ſuperiorem in medium pelvis cavum intrarunt. Doloribus ſat validis denique, infans facili negotio a natura in lucem editus eſt, qui vero ob praematuram aetatem ſuam

per unicum tantum diem vivere potuit. Puerpera aeque ac mater ejus et maritus, nec non plures, in eadem domo febri illa laborantes, priſtinam recuperarunt ſanitatem, quorum omnium, durante morbo, curam gerere mihi contigit.

Caput XCV.

Partus, natibus praeviis, sponte a natura feliciter absolutus in primipara XXII annorum.

Foemina nobilis U—kow, prima vice gravida, debito praegnationis termino exacto, die XIX Iulii anni 1798 hora undecima matutina, primos ad partum dolores percepit. Adfuit obſtetrix M—f, quae mihi commemoravit, nates jam in medio pelvis cavo inveniri. Exploratione inſtituta, ſtatum partus revera ita agnovi, et dolores ſatis validos, partem praeviam propellentes, obſervavi. Quare nullam cauſam videns, qua partus hic arte accelerari deberet, conſtitui, abſtinere a verſione eumque naturae viribus ſimpliciter committere. Eventus expectationi penitus reſpondebat. Doloribus enim urgenti-

bus, nates praeviae hora quarta pomeridiana ſponte per pelvis exitum tranſierunt. Iiſdem externe viſibilibus, digitum indicem meum utriuſque manus, applicavi plicae inguinali, et infantem vivum in lucem promovi. Puerpera penitus convaluit, progreſſu temporis vero, poſt alterum partum me abſente editum, in ſtatu puerperii e vivis erepta eſt.

Caput XCVI.

Similes ejusmodi casus, quibus partus natibus infantis praeviis, sponte a natura absolutus est.

I. Die XVIII Novembris anni 1807 hora veſpertina octava, ad foeminam nobilem A. N. B — ff vocatus, obſervavi, cum velamenta ovi ſponte diſrupta jam eſſent, nates directione debita praevias eſſe. Quare effectum dolorum ſatis efficacium expectans, partum ipſum naturae commiſi, et me praeſente ille feliciter abſolutus eſt, hora matutina ſecunda alterius diei. Cum mater tum infans optima fruebantur poſtea ſanitate.

II. Die XXVI Martii anni 1808 uxor excellentiſſimi P — sky, ſecunda vice gravida, me in auxilium vocavit. Inveni orificium longe lateque apertum, et nates in medium cavum pelvis intrantes. Hora matutina quinta ſponte illa peperit infantem vivum, me praeſente, et fauſtiſſimum habuit puerperium.

III. Die XXI Februarii anni 1800 in foemina nobili A. I. P—ſew idem obſervavi, cujus hiſtoriam partus commemoravi ſupra Cap. LX.

IV. Die XI Martii anni 1801 in foemina nobili A. S. L — sky. Nates in introitum pelvis facile intrarunt, in exitu autem ejus diu moram egerunt. Nihilominus tamen iiſdem praeviis, partus abſolutus eſt.

V. Die XXIII Ianuarii anni 1802 in foemina nobili N. F. L—y. Haec prima vice gravida fuit, et quamquam nates praeviae eſſent, tamen ob teneram corporis compagem, et liquorem amnii jam diu effuſum, verſionem inſtituere nolui, et partum naturae viribus commiſi. Ingenue autem fateor, hanc parturientem multum perpeſſam eſſe, priuſquam licuit partum, natibus in exitu pelvis immobilibus et praeviis, abſolvere.

Caput xcvii.

PARTUS PRIMIPARAE, NATIBUS IN ORIFICIO UTERI PRAEVIIS. INFANS NATURAE VIRIBUS IN LUCEM EDITUS EST, SED MORTUUS, PROBABILITER A FUNICULI UMBILICALIS COMPRESSIONE QUALICUNQUE, ANTE PARTUM.

Primipara xvii annorum E. F. R — s, quae habitu corporis gaudebat tenui, ſubtili atque gracili, debito graviditatis termino exacto, primos ad partum dolores percepit die xxiv Novembris anni 1805, hora ſeptima matutina. Inter primos partus prodromos, liquor amnii ex diſruptis ſponte velamentis ovi effluxit, quare ſtatim advocata eſt obſtetrix M—z. Haec dum caput praevium non obſervaret, auxilium meum imploravit hora nona matutina. Adeuns parturientem, mihi amiciſſimam, exploratione inſtituta, inveni orificium uteri vix ad duorum digitorum magnitudinem apertum, dolores efficaciſſimos, partem corporis quamdam in ſuperiori pelvis apertura praeviam globoſam, minime mollem, in qua tamen durities, cranii oſſibus propria, a me deſiderabatur. Dolores ad partum, omni quinque circiter minutarum intervallo, redierunt,

et poſt aliquot horas orificium magis aperuerunt. Nunc tandem digito altius immiſſo, obſervari potuerant prima veſtigia fiſſurae, quae nates infantis ſeparat. Huic acceſſit meconii evacuatio, quibus omnibus jam extra dubium poſitum erat, partum eſſe natibus infantis praeviis. De eo jam nunc agebatur, an partus hic verſione inſtituta accelerari, vel natibus praeviis naturae committi debeat? Omnibus rite penſitatis momentis, verſionem ſuſcipere ob ſequentes rationes nolui, neque debui: *I mo* Cum nates utraeque debita directione, id eſt majori dimenſione ſua, in majorem diametrum pelvis intrarent. *II do* Quia dolores minime fuerunt inertes, ſed potius efficaciſſimi, cum nixibus validis editis. III. Cum liquor amnii ſtatim in initio partus evacuatus eſſet, uterus circa corpus infantis quaquaverſum arcte conſtringebatur, et firmiter illud ita cingebat, ut manus meae intromiſſio pro pedibus quaerendis quammaxime fuiſſet doloroſa ejuſmodi foeminae, quae ſubtiliorem habuit corporis ſtructuram et aetatem vix ac ne vix quidem adultam. IV. Denique, quia verſio ipſa, ſecundum regulas artis, contraindicari ſolet (ceteris paribus) in qualibet primipara. Ne adeoque vitam hujus parturientis abſque neceſſitate urgente qualicunque diſcrimini offerrem, conſtitui potius, partum hunc

naturae viribus committere, et ipſam aegrotam ante partum editum non derelinquere. Continuarunt dolores validiſſimi et frequentes per integrum diem, et tandem hora veſpertina ſeptima, nixibus ſpontaneis fortioribus editis, nates eo uſque propulerunt, ut digito indice utriuſque manus meae plicae inguinali appoſito, infantem inter dolorem caute attrahere, et exitum ejus adjuvare poſſem. Cum infans dorſo incumberet, revolutio trunci ſemicircularis neceſſaria fuit, deinde brachiorum ſolutio et capitis extricatio. Haec omnia caute, et abſque ulla vi adhibita vel difficultate peracta ſunt, ſed puer, hoc partu in lucem editus, nec minima veſtigia vitae obtulit. Cum illum in initio pro aſphyctico haberem, adhibita ſunt a me et a patre praeſente (artis noſtrae gnaro) omnia remedia, quibus in vitam revocari potuiſſet, uti balneum tepidum, frictio ſpinae dorſi, aquae frigidae ſcrobiculo cordis aſperſio, aëris in os inflatio, plantarum pedum frictio, nec non commotio lenis electrica. Verum enim vero omnia haec incaſſum. Probabile mihi videtur, funiculum umbilicalem in utero adhuc, a femore infantis firmius abdomini adligato, compreſſum fuiſſe, et eo ipſo forſan infantem extinctum. Aliam enim rationem ſufficientem vix ac ne vix quidem invenire potui. Matris autem valetudo hoc

ipſo partu moleſto nec minimo diſcrimini oblata eſt, quae puerperium habuit fauſtiſſimum, et progreſſu temporis, partum naturalem ac facilem bis iterum edidit.

Caput XCVIII.

Nates in exitu pelvis praeviae et immobiles, ope forcipis obstetriciae eductae. Infans vivus mansit.

Die XI Novembris anni 1795, ipſa media nocte, ad mulierem parturientem vocatus fui, quae in domo T — ko degebat. Dolores ad partum per integrum diem continuaverant, quibus tandem nates infantis praeviae ad medium pelvis cavum propulſae fuerunt. Cum eaedem aperturam pelvis ſuperiorem jam tranſierent ante meum aditum, verſio locum habere non potuit, quare conſtitui, clunibus praeviis partum hunc promovere. Novam moram vero egerunt in exitu pelvis. Ut itaque parturientem citius ab infante liberem, forcipem applicavi natibus in inferiori pelvis apertura immobilibus. Hae mihi enim incuneatae quaſi vide-

bantur, et credidi nunc eſſe illum caſum , in quo plures obſtetricatores, et inter alios inprimis celeberrimus *Steinius*, forcipem adhibere jubent. Felix utique fuit ſucceſſus, mater optime convaluit, et infans ad hunc uſque diem vivus et ſanus eſt. Ingenue autem fateor, me poſtea nunquam natibus praeviis applicuiſſe forcipem, et me hujus operationis, quam in initio praxis meae praecipitanter ſuſcepi, poenituiſſe. Quamquam enim infans ad hunc uſque diem ſaniſſimus ſit, attamen per integram primam ſeptimanam vitam ipſius habui ſuſpectam. Singulare etiam mihi ſe obtulit phaenomenon illud, quod infans pedes per aliquot tempus inter faſciationem extendere non poſſet, ſed illos ad abdomen elevatos ſemper haberet. Neque diffiteor, forcipem obſtetriciam natibus applicandis (utpote non penitus aequalem cum capite dimenſionem habentibus) minime eſſe adaptatam, ſed potius applicationem ejus, ob hepatis infantis per brachium forcipis compreſſionem, noxiam evadere poſſe. Neque mihi opus fuit, unquam applicare peculiarem illam forcipem, quam pro natibus praeviis commendavit cl. *Steidele.*

Caput xcix.

DE RECTO FORCIPIS OBSTETRICIAE USU.

Omnia inftrumenta mecum cogitans, quibus luxurians ingenium humanum armamentarium Lucinae ditavit, nullum praeftantius, nullum generi humano utilius, *forcipe obftetricia*, inveni. Utilitatem enim ejus ex bono, quod praeftat, aeftimamus, non ex malo, quod ex abufu ejus oriri poteft. Neque inficias ire poffum, quamquam tot matres et infantes eadem ipfa ferventur, frequentiorem ejus, non urgente neceffitate, applicationem, aeque noxiam iisdem evadere poffe, quam ipfi obftetricatori. Equidem ab omni vanitate quam maxime alienus, palam profiteri non erubefco, me fpeciofo ac faufto operationis fucceffu feductum, in initio praxeos meae, forcipem in partu lentefcente faepius adhibuiffe, quam ultimo, quo vivimus decennio. Quodfi, quo debet, aequo atque attento animo volvimus, quae experientia plurium annorum comprobavit, et extra omne dubium pofuit: facile patet, puerperas etiam illas, quae *laboriofum lentum*, fed

naturalem *partum*, abſque inſtrumentorum adjumento, ediderunt, optima ac illibata in puerperio valetudine plerumque gaudere, et ceteris paribus breviſſimo tempore priſtinam recuperare ſanitatem. Poſt diuturnos nixus inter partum, obſervatur quidem in iis debilitas aliqua. At enim vero primo placido ſomno, vires iterum inſtaurantur, et laeto animo puerpera, omnia quae perpeſſa erat, jucundae tradit oblivioni. Non ita ſemper in partu artificiali. Quamquam negari nequeat, forcipis debita applicatione vitam matris et infantis incolumem ſervari, attamen puerpera inter et poſt hunc partum ſaepiſſime animo commovetur, et metus nec non ſuſpicio eidem infertur, non tantum de ancipiti hujus, ſed etiam de futuri partus, ominoſo ſucceſſu, ut taceam, inde praejudicium contra obſtetricatores ſaepe augeri, quos plerumque ob eamdem cauſam reformidare ſolent plurimae foeminae. Nonne praxis quotidiana, praecipue inter primarios civium ordines, et inter foeminas, quae conſtitutionem corporis habent ſubtilem ac tenuem, demonſtrat, ejuſmodi animi pathematibus febres accendi, et varios morbos cum puerperio complicatos excitari? Iiſdem vero ex hac modo commemorata, vel ab alia plane improviſa cauſa ſubortis, nonne maritus et agnati frequenter admodum ac-

cuſabunt operationem inſtitutam et obſtetricatorem, de fatali ejusmodi morbo ſuperveniente, vel de morte puerperae, quae interdum a cauſis plane alienis exoritur? Nonne idem fiet, ſi infans primis poſt partum ſeptimanis, fortuito quodam caſu morbo afficitur, vel e vivis eripitur? Nec ſufficit partum terminari ſalva matre atque infante. Puerpera aeque ac infans, poſt partum per longum tempus perfecta ſanitate frui debent, ut contenta ſua ſorte ſit mater puerpera, nec non adſtantes, et ipſe medicus obſtetricator. Ponamus praeterea, forcipem maxima dexteritate a verſatiſſimo operatore et feliciſſimo ſucceſſu applicatam fuiſſe in partu, quis tamen contendere audeat, caput infantis aeque tuto et molliter ab ea eductum eſſe, ac ſi eamdem excluſionem benefica natura ſponte peregiſſet? Tantum abeſt vero, ut haec in opprobrium utiliſſimi hujus inſtrumenti dicere voluerim, ut potius palam profitear, me munere obſtetricatoris abſque forcipis uſu fungi minime velle, quae ſacram anchoram quaſi ſiſtit, in tot partubus praeternaturalibus. Id unicum hiſce leviter dictis ſpectabam, ut juniores medicos, qui praxin obſtetriciam in urbibus majoribus exercent vel exercere incipiunt, commonefacerem, ne in quolibet partu lenteſcente, precibus mariti, parturientis, vel adſtantium cedant, et *abſque*

debita indicatione partum forcipe accelerent. Hac obſervata regula, aeque bene conſulent commodo matris et infantis, ac famae ſuae. Aliud enim eſt, exercere praxin in noſodochiis puerperarum, aliud vero in coetu majorum inter primario civium ordines. In his unus alterve partus fatalis odium parit. Haec tamen ὡς εν παρoδω dicta minus gravem cauſam ſiſtunt, qua forcipis uſus ad debitas tantum indicationes reſtringi debeat. Princeps ſemper erit momentum, quia inutile ac turpe eſt, beneficas naturae vires, quae in quolibet partu *primarium locum occupant* et plerumque ſufficiunt, interrumpere, vel iis ipſis haud ignoſcenda temeritate antevertere, vel concertatione artificiali quaſi cum natura, eidem palmam praeripere velle. Caeterum methodus technica illius operationis minus difficilis eſt, et habitum tantum empyricum requiret, quam recta indicationum determinatio, quando ſuſcipi debeat nec non. Quibus praemiſſis, quamquam mihi per tot annorum ſpatium licuerit, feliciſſimo ſucceſſu forcipem in praxi applicare, mearum partium tamen eſſe arbitratus ſum nunc determinare, quibuſnam principiis ductus, et quibusnam in caſibus eamdem cum fructu adhibuerim.

I. Forcipem nunquam applicandam eſſe cenſeo, quamdiu caput infantis in *apertura pelvis ſupe-*

riori verfetur. Neceffe eft, ut caput introitum pelvis minoris faltem expleat, aliqua, vel potius majori peripheria fua. Quodfi aliter feceris, caput firmiter prehendi nequit, et contufio nec non fugillatio femper infertur illis matris et infantis partibus, quibufcum contactus factus eft inftrumenti, ne dicam, vitam infantis manifefto vitae difcrimini eo ipfo exponi. Rariffimo etiam cafu, (quod mihi experientia edocto fateri liceat) neceffitas magna tunc urget, applicationem forcipis accelerare. Tutius eft e contrario expectare, donec caput vi dolorum in medium faltem pelvis cavum promotum fit. Haec ipfa eft ratio, qua forcipes obftetriciae anglorum brachia offerant brevia, in exitu pelvis tantum applicanda, quamquam non negaverim, obfervari etiam cafus, quibus forcipes ejufmodi non fufficiant, pro prehendendo capite altius locato.

II. Celeberrimi ac experientiffimi *Saxtorph* (*) annuo opinioni, forcipis brachia lateraliter tantum ad directionem diametri majoris pelvis applicanda effe, nunquam vero ad directionem conjugatae, etiamfi contigerit, eo ipfo tangere immediate faciem infantis. Clariffimus *Smellius* forcipem fuam, cui curvatura deeft, applicari juffit inter arcum

(*) Vid. *Mathias Sax'orphs* gefammelte Schriften, herausgegeben von Scheel. Kopenhagen 1803. pag. 199.

offium pubis et inter os coccygis in illo cafu, quo facies fitum haberet lateralem. Celeberrimus *Levretius* vero, ut incommodum a forcipis curvatura fua averteret, peculiarem encheirefin commendavit, qua brachium forcipis occipiti applicaret, et deinde eodem ad latus dimoto et facie vel furfum vel deorfum converfa, iterum methodo folita forcipem immitti juberet. Utraque methodus vero parturienti quam maxime eft dolorofa, operatio ardua, et offis coccygis nec non pubis contufio, vel inflammatio, vix ac ne vix quidem evitari poteft. Ingenue fateor, me nihil mali ex laterali forcipis applicatione in praxi obfervaffe, quemcunque habuerit fitum facies, vel lateralem vel fuperam. Quamquam enim brachia forcipis inter applicationem faciem, nafum, vel orbitas tangerent, operatio tamen femper fuit facilis ac innoxia matri aeque ac infanti, in quo vix aliqua leviffima inftrumenti veftigia obfervabantur, quae poft unum alterumve diem fponte evanefcebant.

III. Indicationes verae forcipis in *partu lento* et *diutius protracto* applicandae, non a majori et minori temporis intervallo, vel horarum numero, quibus ille initium cepit, peti debent. Refpiciendum potius eft :

a. *Ad conſtitutionem corporis individualem parturientis*, ad morbos praegreſſos habituales, vel praeſentes, qui complicationem faciunt, uti motus convulſivi et ſ. p. et praecipue ad *virium vitalium abundantiam vel penuriam.*

b. *Ad dolores ad partum*, eorumque inertiam, defectum vel frequentiam, nec non ad effectum, quem in propellendo capite praeſtare continuant vel recuſant. Quodſi enim imminuuntur, vel ceſſare incipiunt, quamquam pridem fuerint efficaciſſimi, tunc eo ipſo indicatio operationis inſtituendae augetur, et abſque mora neceſſaria cenſenda eſt. In illo vero caſu, ſi dolores non univerſalem uteri contractionem manui abdomini appoſitae offerunt, ſed tantum partiales circa hypogaſtrium ſpaſticas conſtrictiones, non abſque fauſto ſucceſſu ante forcipis applicationem, excitantia volatilia prius interne tentari debent, et inprimis opium, cujus utilitatem, ut veteres obſtetricatores taceam, noſtris temporibus inprimis comprobavit *Vogel* et *Wigand.*

c. *Ad iſchuriam praeſentem.* Quodſi enim a capite infantis diutius morante canalis urethrae comprimatur, et lotium diu retineatur ita, ut veſicam ad umbilicum fere uſque diſtendat, veſicae ruptura vel urinae incontinentia poſt partum editum

infequi poteft, nifi partus ipfe forcipe accele-retur. Tumor in ejufmodi cafu fingularis et arctis limitibus circumfcriptus in hypogaftrio obfervatur, quo ipfo jam interdum forcipis indicatio neceffaria evadit.

IV. Forcipem inprimis cum fructu appli-candam effe, cenfeo, in illa pelvis anguftia para-gomphofin capitis concomitante, qua diameter con-jugata pollices tantum habet parifinos $3\frac{1}{2}$, $3\frac{1}{4}$ vel tres. In hoc enim tantum cafu fperare licet, praeter matrem etiam infantem eadem operatione in vivis fervari poffe. Major adhuc neceffitas urget forcipem applicare, fi dolores, quondam efficaciffimi nunc inertes, deficere incipiunt, fi debilitas parturientis increfcit et caput infantis fuccedaneum, pridem tumorem tenfum renitentem referens, nunc flacci-dum et tenue evadit.

V. Obliquitas capitis, quae utplurimum ex fitu uteri obliquo in dextro matris latere oritur, plerumque fponte corrigitur, ftatim ac brachium unum forcipis finiftro capitis lateri applicare con-tigit. Sin minus, opus eft, ut idem brachium in-verfa ratione primo dextro imittatur lateri, et deinde in oppofitam plagam fucceffive et lente fe-ratur. Experientia edoctus fum, hac ratione mihi

licuisse repetitis vicibus forcipem absque difficultate applicare in eodem partu, quo solita methodo prius suscepta applicatio speratum non habuit successum.

VI. Observatur interdum partus ejusmodi, quo brachium infantis praevium invenitur, et una cum eodem, jam ante obstetricatoris aditum, caput insimul medium pelvis cavum intravit. Periculosum pro matre foret, brachium et praecipue caput repellere, pro versione pedibus praeviis instituenda, per minores vero ambages in hoc casu, et absque ulla difficultate, forceps potest applicari capiti, et brachium ad latus moveri, nec non intactum relinqui. Ejusmodi partum non ita pridem observare, et forcipe terminare, mihi contigit, in nosodochio puerperarum Universitatis, de quo infra agam (*).

VII. Reliquis indicationibus adnumerandum est:

a. *Caput post versionem institutam posterum.* Quodsi enim, post unam alteramve trunci jam in lucem editi attractionem, caput non statim sequitur, forcipem applicandam praefero, quam vitam infantis longiori manipulatione manifesto discrimini exponere.

b.) *Convulsiones parturientium* nullis aliis mediis sedandae et diutius continuantes, si caput

---

(*) Confer. observatio, quae infra capite CVII descripta invenitur.

in mediam vel inferiorem pelvis aperturam jam intravit. Ardua fuiſſet res caput pro accelerando partu repellere, et pedes per ambages quaerere Singulares et memorabiles ejuſmodi caſus commemoravi ſupra Capite XXVI et XXVII (*). Idem ſentiendum eſt de haemorrhagia uteri ex placenta praevia, ſi caput infantis praevium inſimul inveniretur.

c) *Paragomphoſis capitis*, *facie infantis laterali*, methodo illa, quam cl. *Saxtorph* (**) commendat, prouti ſupra dixi, vel etiam *facie ſupera*, dummodo vires naturae non ſufficiant pro expellendo infante.

d) *Perverſa pelvis inclinatio et anguſtia.* In hydrocephalo infantis vero forceps rariſſime ſufficit, quamquam utique tentanda eſſet.

VIII. In graviori paragomphoſi, ſi forcipe applicata, caput incuneatum, poſt plures tractiones inſtitutas, extricari nequit, cautius eſt forcipem extrahere, et ſi qualeſcunque adhuc ſuperſunt dolores, per aliquot horas eorum effectum in propellendo capite expectare, quam maxima vi adhibita, tractiones illas in infinitum continua-

(*) Conferatur Caput CVI, quo ejuſmodi obſervatio practica commemorabilur.

(**) Vid. *Saxtorph* in actis Soc. med. Hafn. II. n. 25 de capite lateraliter incuneato.

re, vel partum ſtatim perforatione abſolvere velle. Experientia enim demonſtrat, applicatione forcipis quamvis inani, dolores interdum efficaciores reddi, caput ſponte a natura poſt aliquot tempus exitui pelvis approximari, et nunc tandem, poſt novam forcipis intromiſſionem, faciliori ratione ſubinde extricari poſſe. In chirurgia plures opera-tiones, uti ex. gr. lithotomia abſolvuntur non ſemel ac ſimul, ſed duplici intervallo intermedio (*à deux temps*). Cur idem in arte obſtetricia imitari non debe-amus, non apprime ſentio (*). In genere autem trac-tiones adhibeantur *lenes, nunquam fortes*. Nam non vi, ſed arte educitur caput, motibus vectiformibus ad directionem illius lineae curvae ac ſpiralis, quae a diverſa altitudine et profunditate pelvis formatur, et quam, etiamſi ſit imaginaria, ante oculos ſem-per habere debet peritus obſtetricator. Inter ipſas tandem tractiones forcipem ita dirigere debet, ac ſi mentum infantis firmius pectori ejus apprimere vel-let. Haec eſt princeps et unica methodus, caput faciliori ratione extricandi (**).

(*) Conferatur obſervatio practica, quae infra capite CV deſcribitur.

(**) Vid. Detharding diſſ. de determinandis finibus et recto modo ap-plicandae forcipis. Ienae 1788. *Saxtorph* diſſ. de directione forcipis in partu applicandae. Hafniae 1786. et
Hehn diſſ. de forcipis abſtetriciae uſu recto et applicatione. Götting. 1796.

Caput C.

Quaenam forceps in praxi obstetricia adhiberi debeat?

Verum enim vero jam me haesitandum sentio, publice declarare, quamnam forcipem inter plures reliquis praeferendam esse censeam, et quanam mihi, in praxi tot annorum, optimo successu uti contigerit. Quanta earum est copia, si varias illas nobiscum cogitemus, quae per octoginta septem annorum spatium ad nostra tempora usque a diversis artis peritis inventae, innumerabili modo mutatae, summis laudibus modo elatae, modo rejectae, modo iterum commendatae, cum breviter descriptae, tum iconibus adumbratae reperiuntur? Non mearum quidem esse partium arbitror, prolixius hic disquirere, num meritum primi inventi hujus debeatur *Jacobo Ruffio* (*), num *Chamberlaynio* (**)

(*) Vid. *Jacobus Ruff de conceptu et generatione hominis libri sex Tiguri* 1554 p. 30 Forcipes ejus adumbratae duae, nostris maxime absimiles, pro extrahendo *infante mortuo* tantum, ab eodem commendatae sunt.

(**) *Hugo Chamberlayn* a nonnullis pro forcipis inventore habetur. Videatur *de Vigiliis a Creuzenfeld* Bibliotheca Chirurgica. Vindob.

vel aliis (*). Ad veritatem tamen appofite negari non poteft *Palfynium* (**) primum fuiffe, qui anno 1723 veram forcipem obftetriciam in vivis adhibendam commendavit. Non defuerunt plures ejusdem artis periti, qui ftatim forcipem hanc vario modo mutare, fibi fumpferunt, inter quos hic nominaffe fufficiat, *Gilles le Doux*, *Gregoire*, *Dufée*, *Giffards*, *Chapmann et Mefnard*. Adeat vero, cui placet, fynopticum habere confpectum omnium forcipum, a vetuftiffimo tempore inde, ad recentiora luftra ufque, fcripta cl. *Danz* (***) et *Mulder* (****). Inter omnes obftetricatores duo eminent, qui de hoc invento prae ceteris optime meruerunt, et forcipes utiles ac facile applicandas pofteritati reli-

1781. Dubium vero eft, num forceps fit illud inftrumentum, quod Chamberlayn et filii ejus per longum tempus pro arcano habuerunt, quamquam eidem opinioni annuat *Chapmann*, quam vero iterum repudiat *Exton*.

(*) Inter alios cl. *Iohnfon* forcipis inventum tribuit chirurgo anglo *Drinkwater*, qui verfus finem faeculi decimi feptimi artem obftetriciam exercuiffe, fertur. Vid. celeb. *Ofiander Lehrbuch*. d. Entbind. Götting. 1799. p. 197.

(**) *Ioannes Palfyn* Academiae Scientiarum Parifienfi, novum inftrumentum, id eft forcipem proposuit, pro extrahendo capite infantis incuneato. Vid. *Levret obfervations fur les caufes des accouchemens laborieux*. Paris 1748, p. 81.

(***) Vid. *Danz* diff. brevis forcipum obftetriciarum, Hiftoria Gieff. 1790.

(****) *Mulder* Hiftoria litteraria et critica forcipum et vectium obftetriciorum Lugd. Bat. 1794, quae in germanicam linguam translata eft a *Schlegelio* Leipz. 1798.

querunt, clarissimus scilicet *Smellie* et *Levret*. Ultimus hic inprimis idem instrumentum admodum correxit et pelvi accomodavit, ut per dimidium jam nunc saeculum et ultra, ad recentiora tempora usque forceps sui nominis, a plerisque obstetricatoribus practicis felicissimo successu adhiberetur, et a multis hodiernis adhuc, pro invento omnibus fere numeris absoluto haberetur. Famam forcipis et rectam applicationis methodum scriptis suis extendere annisi sunt duo non minus celebres viri, clarissimus *Böhmer* (*) et *Stein* (**).

Nihilominus tamen progressu temporis plures iterum doctissimi viri, Levreti forcipem diversissimo modo mutare, vel (uti dicere amant) corrigere studuerunt. Eo ipso jam recentissimis temporibus tanta copia diversarum forcipum innotuit, ut revera jam ardua sit res determinandi, quaenam earum prae ceteris majore laude efferri, vel quaenam repudiari debeat (***).

(*) *Phil. Adolph. Böhmer* in compendio *Manninghami*. Halae Magdeb. 1745 et praecipue in Actis Natur. Curios. vol. IX in appendice p. 59, quibus de forcipe inprimis anglicana agit.

(**) *Georg. Wilh. Stein* Progr. de mechanismo et praestantia forcipis Levretianae. Cassel 1767. Nec non *Ejus Progr.* de praestantia forcipis ad servandam foetus in partu difficili vitam. Cassel 1771. Vid. etiam *Meyer*. diss. animadversiones circa usum forcipis Levretianae in partu difficili. Fr. 1785.

(***) Clarissimus *Froriep* in Siebolds Lucina 1804 *Zweyten Bandes* ersten Stück pag. 1. dixit: „Die zahl der geburthszangen ist so grofs, „dafs man sich scheüen moechte, von einer neüen zu sprechen.“ —

Liceat tamen vel breviter mentionem facere, ſi non omnium, ſaltem praecipuarum. Proſtat:

I. *Forceps* cl. *Starkii*, quae ob curvaturam ſatis magnam in apice cochlearis et ſolidam conſtructionem firmiter caput prehendit. Praeterea datur ſtylus mobilis, qui juncturae immittitur Smellianae.

II. Forceps cl. *Oſiander*, quae cochlearia habet abſque feneſtris et peculiarem juncturam firmam, nullis forcipibus aliis propriam.

III. *Forceps* cl. *Boër*, tenuis, brevis, corio obducta, cum junctura Smelliana, inferiori potius pelvis aperturae accomodata.

IV. Forceps cl. *Buſch*, quae trahendo potius quam comprimendo agit (a).

V. Forceps cl. *Klees*, quam peculiari ſcripto publici juris fecit (b).

VI. Forceps cl. *Brünninghauſen* (c).

VII. Forceps cl. *Siebold* (d).

(a) Vid. *Buſch*. in Starke Archiv. VI B., p. 458.

(b) Vid. *Klees* über eine neüe geburthszange. Frankf. 1794. Vid Salzb. med. chir. Zeitung 1796. I., p. 310.

(c) Vid. Salzburger mediciniſch chirurgiſche Zeitung 1802. I., p. 481. Brünninghauſen über eine neüe von ihm erfundene geburttszange. Wülzrburg 1802.

(d) Vid. *Laubreis* diſſ. de forcipis obſtetriciae requiſitis. Würtzburg 1802, et *Elias von Siébold*. *Lucina* I. Bd. 2 Stück, pag. 226, cum

VIII. Forceps cl. *Fries* cum brachiis ad modum Brünninghaufeni (e).

IX. Forceps cl. *Froriep* (f) cum regulatore, labimetro et cephalometro.

In Gallia ad hunc ufque diem plerumque utuntur forcipe Levretiana, quam non ita pridem corrigere vel potius mutare voluit cl. *Thenance* (g). In Anglia per longum tempus in ufu fuit Smellii, rarius *Iohnfoni* et *Leakii tribrachialis* (h). In magno apparatu inftrumentorum, pro ufu praelectionum mearum in Univerfitate noftra ex Anglia acceptorum, fex novas forcipum fpecies praecipue obfervavi, forcipem *Ofbor-*

---

icone annexa. Clarissimus *Wigand* hanc forcipem Sieboldi et Brünninghauseni supra citatam reliquis praefert. Nihilominus tamen juncturam forcipis Sieboldi cum illa, quae *Smellianae* propria est, commutavit et manubria justo breviora esse, reprehendit. Vid. Lucina II. B. 2 Stück, p. 49.

e) Vid. Beschreibung und Abbildung einer neüen Entbindungszange vom Professor Dr. *Fries* in Münster, in Lucina III. B. 3 Stück, p. 321.

(f) Ueber einen an meiner Geburtszange angebrachten Mechanismus vom Prof. *Froriep*. Vide Lucina II. B. I. Stück, pag. 1 et fq. cum icone annexa.

(g) Vid. Nouveau forceps non croisé ou forceps du celebre Levret perfectioné en 1781 par *Jean Simon Thenance* Docteur-Medecin et membre du ci-devant College de chirurgie à Lyon, an x.

(h) Vid. *Wenzel* diff. comparatio inter forcipem Levretianam, Smellianam et Ionhfonianam Mogunt. 1791. In Salzburg med. chir. Zeitung 1792. IV, p. 369.

ni (i), *Denmanni* (k), *Hamiltoni* (l), *Haigthoni* (m), *Clarkii* (n), et *Polii* (o). Omnes hae forcipes ſunt breves, in inferiori tantum pelvis apertura adhibendae, et quotquot ſunt, juncturam habent ad modum Smellii. Differunt tantum inter ſe majori vel minori cochlearium excavatione, feneſtrarum varia amplitudine, manubriis varia forma et tegmine vel coriacio vel nullo. Dantur praeterea aliae adhuc forcipes, quas ſilentio hic praeteream (p).

Ardua vero eſt res, nunc determinare, quaenam forceps in tanta earum copia ſit omnibus reliquis praeferenda? Non cuilibet earum profecto aequalis praerogativa tribui poteſt, neque ex adverſa parte omnes repudiari poſſunt. In quacunque,

(i) Cochlearia ad modum Levretianae incurvata ſunt, junctura Smelliana, manubria brevia, et integra forceps corio obducta.

(k) Forceps *Denmanni* eſt recta, cum junctura Smelliana et manubria corio obducta. Vid. Denmann on the uſe of forceps in praeternatural labours London 1788. Starke archiv. III B., p. 576.

(l) Forceps *Hamiltoni* cochlearia habet quodammodo ſurſum flexa.

(m) Forceps *Haigthoni* eſt recta, quae feneſtras habet ampliſſimas et manubria ligno nigro (ita dicto) obducta.

(n) Forceps *Clarkii* ſiſtit cochlearia longiora et tenuia, quae quodammodo ad forcipem Levretianam proxime accedunt.

(o) Forceps cl. *Pole* cochlearia habet recta et feneſtras ſatis amplas. Manubria vero ex ligno nigro confecta, peculiarem plane habent conſtructionem, longis ferratis quaſi inſcriptionibus, ut digiti commode illis exciſuris imponi poſſent. Eo ipſo ab omnibus reliquis differt.

(p) Variis adhuc forcipibus obſtetriciis adnumerari poſſunt illae, quae deſcribuntur in:

ſi volupe eſt, incommodum quoddam reale vel ſpecioſum poteſt reperiri, in nullo non commodum qualecunque. Fit adeoque inde, ut haec ab aliis laudetur, quae ab aliis culpatur, et ut cuilibet auctori praecipue placeat tantum forceps ſui nominis. Experientia vero quotidiana demonſtrat, varias chirurgicas operationes feliciſſimo ſucceſſu inſtitui non ſolum illis inſtrumentis, quae noviter inventa ſunt, ſed iis, quarum applicatione habitum practicum ſibi acquiſivit operator. Neque temere dixit celeberrimus Saxtorph (q) fauſtum eventum pro parturiente minus pendere a varia forma forcipis, quam potius a dexteritate obſtetricatoris nec

---

Santerelli lettera intorno ad un nuovo forceps d'obſtetricia. Viennae 1794.

Ficker in Loder Journal für Chirurgie I. p. 303 (Baudeloquianam ſuadet forcipem)

(q) Vid. *Mathias Saxtorphs* geſammelte Schriften von Scheel Koppenh. 1803 pag. 200, qui dixit: „Durch Erfahrung bin ich überzeügt „worden, daſs es nicht ſo ſehr auf die Vorzüge überhaupt, die der „einen Zange vor der andern vermittelſt ihres verſchiedenen Baues „eigen iſt, als auf *die Geſchicklichkeit des Geburtshelfers*, *auf die „rechte Zeit und die Art der Anwendung* ankomme.“

Videatur etiam *Saxtorph* diſſ. de directione forcipis in partu applicandae. Hafniae 1786, nec non *Ejuſdem* tractatum in actis ſociet. Med. Hafn. II.

non a modo et tempore applicationis. Quare publice profiteri non haefito, me ab initio praxeos meae inde, ad hunc ufque diem, feliciffimo fucceffu applicuifle *forcipem Levretianam*, quamquam omnes fere ultimo decennio inventae mihi ad manus effent, quibus in praelectionibus meis academicis utor, ut auditoribus monftrem, quot ingeniofa dentur inventa a pluribus doctiffimis viris publici juris facta. Neque has nuperrime inventas forcipes fua laude defraudandas effe urgeo, fed fuum cuique tribuens, illas aliorum arbitrio, pro ufu practico futuro, debita aequanimitate committo (r).

Quod vero incommoda illa attinet, de quibus forcipem Levretianam nonnulli recentiorum accufare ftudent, quamquam utilitas ejus per dimidium faeculum toties comprobata fit, ingenue fateor, me de realitate opprobrii illius non perfuafum effe. Non me fugit, plures in eodem inftrumento damnare fulcum vel infcriptionem in interna fuperficie brachiorum, et eo ipfo perniciofum effectum pro infante metuere. Verum enim vero

(r) In illa partus lentefcentis fpecie, qua caput jam in inferiori pelvis apertura inventum eft, faepiufcule etiam optimo fucceffu applicavi *forcipem Ofborni*, quae Levretianae proxime accedit et, cum corio obducta fit, nullum ftrepitum producit, neque ob tenuitatem fuam metum parturienti infert, neque tandem caput infantis offendit.

praeter leviſſima veſtigia in integumentis externis capitis impreſſa, quae poſt unum alterumve diem ſponte evaneſcunt, nihil mali etiam inter difficiliorem operationem per tot annorum ſeriem a forcipe Levretiana obſervavi. Diſplicet aliis junctura ob axin mobilem. Mihi nunquam inde nec minima difficultas oblata eſt, et e contrario ad veritatem appoſite, teſtor, vix dari aliam forcipem, in qua firmior ſit brachiorum nexus. Objiciunt tandem, curvaturam et excavationem brachiorum juſto minorem eſſe, et eo ipſo caput ab hac forcipe minus firmiter prehendi. At enim vero mihi ſemper contigit eadem caput educere, neque unquam obſervavi, vitam neque infantis neque matris cuicunque diſcrimini obnoxiam reddi, *dummodo debita dexteritate* neque abſque *certa indicatione* adhibeatur.

Caput CI.

Viginti observationes practicae (*), quibus, ob partum lentescentem, infans a me per forcipem extractus est vivus, salva matre puerpera.

I. Die xxx Iulii anni 1795, media ipſa nocte a medico Perilluſtri P—k—n ad foeminam nobilem Al. Il. I—noff vocatus fui. Haec prima vice gravida, primos ad partum dolores percepit in itinere, quo ab urbe Twer Moſquam adire voluit. Eo ipſo tempore etiam liquor amnii ex velamentis ovi, vel ſponte vel commotione in rheda diſruptis, effluxit. Dolores vehementiſſimi continuarunt per integrum diem, et tandem poſtquam urbem noſtram adiret, in auxilium vocata eſt obſtetrix B—tt et medicus peritiſſimus ille ſupra commemoratus. Hic cum partum a natura abſolvi non poſſe videret, me ſibi ſocium adjunxit. Quamquam unus dies cum dimidio jam elapſus eſſet, a primo partus initio inde, nihilominus tamen conſtitui, per aliquot horas expectare, an non naturae vires ſufficerent, pro ex-

(*) Non omnes operationes, forcipe a me peractas, hic enumerare volui, ſed tantum praecipuas.

pellendo capite praevio. Verum enim vero caput, volumine ſuo majori incuneatum, inter nixus editos nec minime promovebatur in hac parturiente, quae itinere, animi commotione et laborioſo partu quam maxime fuit debilitata, et tandem ipſi dolores ceſſare coeperunt. Quare hora matutina quarta alterius diei forcipem applicavi obſtetriciam ſecundum regulas artis, et decem minutarum ſpatio filium eduxi vivum, qui clamore primo edito matri maximum excitavit gaudium. Ille idemque, dum haec ſcribebam, annum jam agit nunc decimum quintum et corpus habet robuſtum ac toroſum, ſtaturam proceram, et praecipue in eodem caput conſpicitur voluminoſum. Mater penitus convaluit et optima ad hunc uſque diem fruitur ſanitate.

II. Die IX Auguſti anni 1795, forcipem in partu lenteſcente XX horarum foeminae nobilis Diac—ff applicare obſtrictus fui, praeſente obſtetrice M — ler. Infans extractus eſt vivus, et mater penitus convaluit.

III. Die XI Auguſti anni 1795 ad parturientem foeminam nobilem Buſch—eff vocatus ſum ab obſtetrice M—r. Ob caput incuneatum forceps feliciſſimo ſucceſſu applicata eſt, et eadem infans vivus eductus. Mater viva manſit.

IV. Die xxvi Octobris anni 1795 in uxore pharmacopoëi S — e, ob partum lentum forceps a me adhibita eſt, praeſente obſtetrice S — mann. Cum infans tum mater in vivis ſervabantur.

V. Die xxvii Martii anni 1796 in uxore Doctoris Medicinae et Profectoris Univerſitatis A — sky, praeſente obſtetrice S—tian. Filia forcipe extracta ad hunc uſque diem viva et ſana eſt, nec non mater.

VI. Die xvi Aprilis anni 1796 applicata eſt forceps obſtetricia in foemina nobili D. A. M—tow, praeſente Doctore Gr—t et obſtetrice Can—ry. Infans vivus et mater convaluit. Placenta vero diutius in utero moram egit, quare illam arte ſolvere obſtrictus fui, cujus hiſtoriam breviter commemoravi Capite LXI pag. 213 ſub NO III.

VII. Die II Iunii anni 1796 in uxore Mercatoris Germani M — er, praeſente obſtetrice M—f, forcipe filiam ad hunc uſque diem vivam extraxi. Mater convaluit et poſtea bis peperit. Dolores ad partum per xviii horas abſque intermiſſione continuarunt et ſingulare phaenomenon obtulerunt illud, quod illos omni quinque circiter minutarum ſpatio redeuntes quavis vice ſemper ſequeretur vomituritio

parturientis, quae nullis medicamentis ante operationem ſedari potuit.

VIII. Die XI Auguſti anni 1796, in uxore L—chinoff forcipe poſt plures tractiones eductus infans, qui initio aſphycticus videbatur, at brevi tempore, adhibitis debitis mediis, in vitam revocatus eſt. Mater convaluit.

IX. Die III Novembris anni 1796 ad parturientem, in domo Comitis P—kin degentem, vocatus ſum ab obſtetrice S—ann. Forcipe extraxi infantem vivum. Mater convaluit.

X. Die XIV Novembris anni 1796 forcipe infantem vivum in partu primiparae Excellentiſſimae W. A. K—b—n eduxi. Dolores validiſſimi per XVIII horas continuarunt, et caput non ultra pelvis medium cavum propellere potuerant. Mater ſexies poſtea iterum peperit.

XI. Die XXI Maji anni 1798, in partu lenteſcente foeminae R—h—d forcipe extraxi infantem vivum. Mater convaluit.

XII. Die XXII Martii anni 1799 paragomphoſis capitis, in partu XXVI horarum, forcipis applicationem neceſſariam reddidit apud foeminam nobilem

Alex. A. P — sky. Cum caput in inferiori pelvis apertura incuneatum esset, ex industria hac vice non forcipem Levreti sed Denmanni (quae brevia habet cochlearia et corio obducta est) adhibui, et infantem eduxi vivum, praesente obstetrice B — in. Mater, quamquam in statu puerperii febri continua aegre decumberet, tamen pristinam recuperavit sanitatem.

XIII. Die xi Augusti anni 1799 Excellentissima E. N. M—l—tsch, prima vice gravida, per xxv horas continuis vehementissimisque doloribus excruciabatur. Cum caput diu admodum immobile esset, forcipem applicavi Levretianam, praesente obstetrice M—z, et filiam eduxi vivam, quae per biennium vixit, et postea accidentali morbo fuit extincta. Mater progressu temporis quater felicem ac maxime naturalem partum edidit.

XIV. Die iii Martii anni 1800 foemina nobilis I—l—gin laborioso ac lento vexabatur partu, quem forcipe feliciter terminavi, praesente obstetrice Chm—sky. Infans erat vivus et mater convaluit.

XV. Die ix Iulii anni 1800 uxor illustrissimi Principis S. N. G—n per xxii horas inanibus

ac fruſtraneis partus doloribus excruciabatur. Ab initio inde ad finem uſque partui interfui, et tandem dolores imminui coeperunt. Quare, in praeſentia obſtetricis H—r, forcipem capiti incuneato applicare conſtitui, et filium, qui adhuc in vivis eſt, feliciter extraxi. Mater poſtea pluries peperit.

XVI. Die xx Iulii anni 1800 forcipe infantem extraxi vivum in partu lento uxoris mercatoris L—ſchin, quae itidem penitus convaluit.

XVII. Die xi Octobris anni 1800 foemina nobilis et primipara M. P. A—tin laborioſum perpeſſa eſt partum. Poſtquam enim per xx horas validiſſimi dolores continuaverant, tandem ceſſare coeperunt, et parturiens ipſa ſummopere debilitata, delirio affecta eſt. Quare forcipe partum terminavi, et infantem vivum eduxi, in praeſentia obſtetricis H—r.

XVIII. Die xxix Novembris anni 1801 forcipe extrahere obſtrictus fui infantem, vivum, in domo obſtetricis W—ner, in qua foemina nobilis . . . . partum hunc clandeſtinum edidit. Mater convaluit, et infans orphanotropheo traditus eſt eodem die.

XIX. Die II Februarii anni 1803 hora matutina octava vocatus sum ad parturientem foeminam nobilem F—roff, secunda vice gravidam. Liquor amnii jam ante biduum effluxit, et ab hesterno inde die ad hodiernum usque, dolores ad partum validissimi continuarunt. Caput vero in medio pelvis cavo immobile haerebat. Absque effectu instituta fuerat venaesectio et adhibita insimul remedia antispasmodia interna ex opio. Dolores denique plane cessarunt, quare forcipem applicare coactus fui, eademque infantem extraxi vivum, cujus *facies erat supera.*

XX. Foemina nobilis, uxor Al. Al. V-j-neff die VII Decembris anni 1803 primos ad partum dolores percepit, qui per integrum hunc et alterum insequentem diem absque successu continuarunt. Caput in medio pelvis cavo immobile haerebat. Quare, die VIII Decembris hora vespertina undecima, forcipe Levretiana per me ab infante liberata est. Mater adhuc in vivis.

CAPUT CII.

VERA PARAGOMPHOSIS, A CAPITE INTRA PELVIS EXITUM ARCTISSIME INCUNEATO. POST XXVIII HORAS TANDEM, DOLORES PENITUS CESSARUNT ET ISCHURIA SUPERVENIT. FORCIPE INFANS EXTRACTUS EST VIVUS, ET MATER SERVATA.

Foemina nobilis XXVIII circiter annorum N. N. O — ow, die IX Iunii anni 1802 matrimonium iniit et ſtatim gravida facta eſt. Partum approximantem anxie expectavit, et ideo verſus finem graviditatis eccleſiam ſaepius adire, et genubus demiſſis et flexis, pluries de die precari, pro officio habuit. Arduum eſt determinare, num inde factum ſit, quod jam die XIX Februarii anni 1803 hora matutina ſecunda liquoris amnii effluxum perſentiret. Aliam ſaltem cauſam manifeſtam, qua praematurus partus hujus terminus explicari poſſet, proferre non potuit. Haec fuit ratio, qua neque partum inſtare credere voluit, neque obſtetricem arceſſere. Quamquam nocte ſomnus arctius illam complexus eſſet, attamen hora tertia iterum expergefacta fuit, ob dolores in oſſe ſacro et hypogaſtrio, qui ab illo tempore

inde abſque intermiſſione illam et vehementer quidem excruciare continuarunt. Advocata adeoque primum eſt obſtetrix A—s, et tandem, hora octava matutina, meum etiam auxilium imploravit maritus. Prima vice vidi hanc foeminam, quae conſtitutionem ſatis robuſtam habuit, et obſervavi orificium penitus fere apertum, nec non caput infantis vi dolorum validiorum (omni quinque minutarum intervallo redeuntium) jam ad medium pelvis cavum delapſum eſſe. Non diffiteor, ex celeri ejusmodi partus progreſſu, me eventum non tantum fauſtum, ſed etiam promptum, marito et adſtantibus praedixiſſe. Nolui, neque potui derelinquere parturientem ante partum editum. At enim vero quantum me ſpes fefellit? Dolores vehementiſſimi ac frequentiſſimi caput ad exitum pelvis jam hora decima matutina propulerunt, ita ut vix opus eſſet, unius digiti phalangem immittere, pro capite attingendo. Ultra hoc punctum vero caput nequaquam prodire potuit, neque validiſſimis nixibus per totum diem, cum fronte ſudore madida et animo fere deſperabundo, omni v minutarum ſpatio editis. Fruſtra inſtituta fuit venaeſectio, ob pulſum inter clamorem et ejulatum maxime incitatum. Fruſtra applicata fuerunt diverſo tempore tria ab obſtetrice enemata, et abſque effectu propinata interna remedia antiſpaſmodica et

anodyna. Caput, in exitu pelvis arctiſſime inclavatum, pelvis marginem univerſum attigit et cum eodem perpetuum quaſi corpus immobile obtulit. Hiſce ſupervenit capitis tumor ingens, orificii uterini nec non genitalium intumeſcentia, et tandem animus parturientis deſperabundus. Cum partum hunc non penitus maturum cenſerem, et dolores continuarent fortes, conſtanter et tenax propoſiti mei inſteti, partum hunc naturae committere, ſpe illa fretus, ut denique caput, ad exitum fere vergens, extricaretur. Verum enim vero non tantum dies, ſed etiam tota nox elapſa eſt, caput vero nec minimum propellebatur, ſed tanquam clavus parieti infixus, penitus immobile, in pelvis apertura inferiori haerebat. Dolores praeterea horis matutinis alterius diei plane ceſſarunt, et ob diuturnam canalis urethrae a capite compreſſionem, iſchuria exorta eſt, qua veſica, ab urina retenta, tumorem ad umbilicum fere uſque obtulit. Quare tandem, die xx Februarii hora matutina octava abſoluta, forcipem applicavi Levretianam. Ob incuneationem quaquaverſum, forcipis brachia, inprimis foemineum, non ſine difficultate immitti potuerunt. Succeſſus operationis vero erat fauſtiſſimus, et filius a me eductus eſt vivus. Mater etiam penitus convaluit. Miratus ſum maxime, quam celeri paſſu caput tranſierit per pelvis aperturam

ſuperiorem et mediam, et quam longam moram fecerit in inferiori. Cum inter forcipis applicationem viderem, pelvim revera in exitu fuiſſe anguſtam, probabile videtur, eamdem in introitu fuiſſe juſto ampliorem. Alias enim non potuiſſet caput in hac primipara per aliquot horas transmeare aperturam ſuperiorem, in qua plerumque caput majorem moram agit. In hoc itaque partu forceps obſtetricia quam maxime fuit indicata, et fauſtus eventus utilitatem inſtrumenti comprobavit.

Caput CIII.

Capitis Maxima incuneatio per biduum. Partus dolores tandem penitus cessarunt. Infans forcipe extractus est vivus.

Foemina nobilis O. S. B.—m—eff liquoris amnii effluxum die Solis XXIV Iunii anni 1806 hora matutina decima, obſervavit. Cum prima vice gravida eſſet, eo ipſo quodammodo fuit animo perturbata. Dolores eodem die verſus meridiem circiter percepit qualeſcunque, ſed parvos et rarius redeuntes.

Accerſitus, hos ideo pro veris declarare non potui, cum uteri orificium penitus adhuc eſſet clauſum. Verum enim vero veſperi die xxv Iunii os uteri coepit aperiri, et dolores nunc frequentiores et fortiores facti ſunt, quare arbitror, partum ab hoc ipſo tempore inde initium coepiſſe. Caput erat praevium et majori peripheria ſua in aperturam ſuperiorem pelvis jam intrabat. Dolores continuarunt omni 10 circiter minutarum intervallo per integrum diem (xxvi Iunii) et caput per medium pelvis cavum propulerunt. Die tandem Mercurii xxvii Iunii horis matutinis exitus pelvis capite adimpletus fuit, et ſperavi nunc, brevi tempore partum abſolvi, cum inprimis vires parturientis conſtarent, et nulli exorti eſſent febriles motus. Verum enim vero dolores paulatim paulatimque imminuti ſunt, et verſus veſperem penitus ceſſarunt. Quamdiu caput in introitu et medio cavo haerebat, urina commode excerni potuit, nunc autem in exitu caput retentum, canalem urethrae comprimebat et lotio ſuppreſſo, veſicam ad umbilicum fere extendebat. Periculum fuit in mora, et nunc tandem, poſtquam alii medici uti F — e et Ph — r in conſilium vocati, unanimi conſenſu mecum urgerent operationem, conſentiit tandem parturiens, ut forceps applicaretur, quam pridem repudiaverat. Applicavi itaque hora ſeptima die xxvii Iunii for-

cipem Levretianam et eadem, praefente obftetrice St—r, eduxi puerum vivum, qui etiam fanus manfit. Mater fauftiffimum habuit puerperium, et ad hunc ufque diem optima fruitur valetudine.

Forcipis applicatio, ob averfionem parturientis in hoc partu, nimis diu delata effe videtur, quod utique non meum fuit peccatum. Verum enim vero patet etiam exinde, perniciofos illos effectus, quos plures artis periti ex partu lentefcente metuunt, non admodum effe femper reformidandos. Infans enim fanus in lucem editus eft, et parturiens nullis infolitis morbofis affectibus vexabatur. Quo ipfo patet, me non abfque ratione fufficiente fupra Capite xcix monuiffe, ne juniores medici partum quemcunque lentefcentem forcipis applicatione accelerent, quamquam lubenter fatear, me in hoc cafu citius hoc inftrumentum applicare voluiffe, nifi parturiens mihi per longum tempus confenfum fuum denegaffet.

Caput CIV.

PARAGOMPHOSIS CAPITIS, OB SITUM FACIEI LATERALEM, IN PARTURIENTE PRIMIPARA XXXVIII ANNORUM. FORCIPE INFANS EDUCTUS EST VIVUS, SALVA MATRE PUERPERA.

Uxor mercatoris Pamf—off, XXXVIII jam annorum mulier et primipara, die 11 Decembris anni 1808 primis partus doloribus vexari incepit. Adfuit obftetrix W—gner, quae mihi commemoravit, partum ab hora matutina octava inde initium coepiffe. Caput erat praevium, fed dolores admodum inertes, per integrum hunc diem et per totam noctem continuarunt. Ob pulfum plenum et incitatum, et aetatem provectam parturientis, haud inconfultum duxi, ipfi venam in brachio fecare, enemata applicare, et remedia varia interna propinare. At enim omnia haec incaffum. Caput immobile atque incuneatum in exitu pelvis haerebat, et tumor ejus fatis magnus, tenfus et renitens, extra omne dubium ponebat, infantem effe vivum. Expectavi nihilominus tamen per integram noctem, an non naturae vires fufficerent, pro expellendo capite, praecipue cum vires adhuc conftarent et

dolores continuarent. Horis matutinis alterius diei illi fucceffive imminuti funt, et tandem plane ceffarunt. Quae cum ita effent, nunc abfque mora confentiente parturiente, hora octava matutina die III Decembris forcipem applicavi Levretianam, et infantem non abfque omni difficultate eduxi vivum. Faciem ille habuit lateralem (*). Mater praeter folitos febriles motus, nullo peculiari morbo laboravit, et priftinam recuperavit fanitatem.

Caufa hujus incuneationis capitis procul dubio fuit duplex: faciei fitus lateralis, et aetas provecta in parturiente primipara.

(*) Forcipis brachium in hoc partu faciem tetigit. At enim vero inde nec minimum incommodum pro infante exortum eft. Confirmantur eo ipfo illa, quae fupra Capite XCIX de methodo forcipis (in facie laterali) applicandae dixi.

Caput CV.

Partus, capite infantis praevio nec non facie supera, per triduum protractus, et tandem forcipis applicatione terminatus

Foemina nobilis W. A. A — ſ — eff, quae annum jam xxxv agebat, prima vice gravida facta, die xiii Februarii anni 1805 verſus meridiem liquoris amnii effluxum ſpontaneum ex inopinato obſervavit. Hora veſpertina ſexta primos ſed leviſſimos dolores percepit, qui periodice omni dimidia circiter hora redierunt. Exploratione inſtituta, caput infantis utique praevium ſe obtulit, at enim vero in ſuperiori pelvis apertura, et orificium uteri nondum penitus erat deterſum. Cum parturiens habitus eſſet obeſi, dolores inertes et tardi, abſque ullis nixibus editis, per integrum alterum diem continuarunt. Adhibita fuerunt varia remedia cum externa tum interna, uti V. S., enemata, embrocationes, antiſpaſmodica excitantia, opiata; at enim vero omnia incaſſum. Tertio die (xv Februarii) forcipem applicavi, quamquam caput nondum majori peripheria in aperturam ſuperiorem pelvis intra-

verit; verum haec operatio ſperatum non habuit eventum, quoniam caput firmiter prehendi non potuit. Quare conſtitui, forcipem extrahere, novorum dolorum ad partum effectum eo uſque ſaltem expectare, donec caput in medium pelvis cavum iis propulſum eſſet, et deinde iterum eamdem applicare forcipem.

Quodſi enim voluiſſem inter forcipis applicationem *vim* adhibere, vita matris procul dubio diſcrimini oblata eſſet. Quare illam methodum praeferendam eſſe arbitratus ſum, qua eadem operatio, duplici intervallo intermedio (*à deux temps* prouti chirurgi galli in aliis operationibus nominant) inſtitui poſſit. Dolores qui nondum ceſſaverant, per integram hanc noctem, continuarunt adhuc et tandem die XVI Februarii caput ad medium pelvis cavum propulerunt. Nunc ſecundum regulas artis iterum applicavi forcipem, et extraxi infantem mortuum et putredine conſumptum, qui *faciem* obtulit *ſuperam*. Puerpera, quamquam per tres dies multum perpeſſa eſſet, fauſtiſſimum habuit puerperium, neque ullo inſolito quodam morbo puerperali vexabatur, ſed breviſſimo tempore penitus convaluit. Obſervatio haec practica evidenter probat 1) forcipis applicationem, ſi ſemel

non ſuccedit, optimo ſucceſſu et abſque noxa poſt aliquod tempus iterum *(à deux temps)* ſuſcipi poſſe (*) 2) partum lentum et per aliquot dies protractum, parturienti minime eſſe funeſtum, dummodo obſtetricator non praecipitanter agat, neque vim inter operationem adhibeat, qua uterus laedi potuiſſet, prouti haec ſupra (pagina 279.) prolixius explicata inveniuntur.

CAPUT CVI.

FORCIPIS APPLICATIO FAUSTA, IN PRIMIPARA, QUAE PER OCTO JAM HORAS CONVULSIONIBUS EPILEPTICIS VEXABATUR.

Die xxv Iunii anni 1806 ad parturientem primiparam quamdam Pol — jareff vocatus ſum, quae per VIII jam horas convulſionibus epilepticis vexabatur, omni dimidia circiter hora redeuntibus. Obſtetrix T — sky mihi commemoravit, partum ab hora matutina quinta inde initium coepiſſe levio-

(*) Conferatur caput XCIX ſupra pagina 279.

ribus doloribus, quibus ftatim hi motus convulfivi fupervenerunt. Exploratione inftituta inveni, caput in medio pelvis cavo praevium. Quare ftatim abfque mora applicavi forcipem hora fecunda pomeridiana et infantem vivum eduxi. (*) Mater altero tandem die mentis compos facta eft, et quamquam in puerperio aegre decumberet, attamen penitus convaluit et poftea iterum peperit.

Similes ejufmodi obfervationes practicae, quibus infans inter convulfiones matris faufto fucceffu forcipe extractus fuit, fupra commemoratae funt Capite XXVI et XXVII.

Caput CVII.

Brachium infantis una cum capite praevium. Infans mortuus et putridus forcipe extractus est.

Die XI Februarii anni 1809 horis matutinis nofodochium puerperarum Univerfitatis Caefareae-Mofquenfis adiit parturiens quaedam, quae praeterito jam die ante ingreffum in nofodochium do-

(*) Noxium fuiffet in hoc cafu, caput repellere et verfionem inftituere, prouti prolixius explicavi fupra Capite CXIX pag. 278.

lores ad partum perpeſſa erat, quibus ipſis liquor amnii effuſus, et brachium infantis praevium protruſum fuit. De eo certior factus et advocatus, ſtatim verſionem in praeſentia omnium ſtudioſorum inſtituere volui. Cum vero accuratiori exploratione inſtituta, praeter brachium praevium et viſibile, inſimul caput jam ad medium pelvis cavum delatum invenirem, conſilium mutavi, (*) et forcipem applicavi capiti infantis, intacte relicto brachio. Infans extractus eſt facili negotio, qui vero putredinis incoeptae manifeſta veſtigia in epidermidis feceſſu, obtulit. Mater puerpera autem penitus convaluit.

De felici forcipis applicatione in parturiente, in qua una cum capite infantis, funiculus etiam umbilicalis praevius erat, ſupra Capite XXXVI obſervationem communicavimus practicam.

(*) Confer. ſupra Capui XCIX pag. 277.

Caput CVIII.

Paragomphosis capitis infantis completa, cum vaginae athresia, quae in foemina pusilla atque obesa perforationem capitis absolute necessariam reddidit. Cogitata mea de usu perforatorii et vectis, in praxi obstetricia.

Menfe Martii anni 1804 Mofquam petiit, et auxilium meum imploravit foemina nobilis excellentiffima Elif. A. Str—w, quae annum agebat vicefimum octavum et conftitutionem corporis habebat pufillam atque obefam. Commemoravit mihi, fe ante tres abhinc menfes, ipfo medio itinere, quo urbem noftram adire voluerat, in pago, prima vice et aegre quidem, peperiffe. Partus labores per quatuor fere dies continuarunt, et cum obftetrice perita deftituta effet, tandem doloribus languefcentibus, caput aeque ac truncus infantis, imperitis manibus mulieris cujusdam rufticae, non fine maxima vi adhibita, extrahebantur. Haec vero non fine perinaei laceratione, et finus genitalium quaquaverfum fumma contufione peragi potuerant. Quare, cum iterum cura chirurgica ibidem deeffet, ex inflammatione harum partium,

facta eſt ſuppuratio, et ex ſuppuratione, concretio. Nunc auxilium meum quaeſivit, ob *athreſiam vaginae*, quae utique incompleta erat. Introitus admodum fuit anguſtus, ut vix apex digiti immitti poſſet, quamquam ſanguini menſtruo effluenti via non eſſet penitus occluſa. Plures tunc temporis mecum medici fuerant advocati, et unanimi ſuffragio conſtitutum eſt, unguentibus emollientibus oleoſis, cataplasmatibus, nec non injectionibus, praecipue vero ſpongiis in conum faſtigiatis, canalem vaginae ampliare. Neque haec abſque fructu adhibita fuerunt. Optimum effectum, pro dilatatione oſtii vaginae, inprimis praeſtavit ſpongia ſicca cylindrica, a majori volumine in minus redacta, ope fili ſpirali modo toto ſuo tractu circumacti. Statim ac intromiſſa haec erat ſpongia, filum paulatim paulatimque laxebatur et extrahebatur, intus relicta ſpongia compreſſa, quae ab exſtillantibus vaginae humoribus tumefacta, dilatationem vaginae maximam, cunei ad inſtar, effecit. Hiſce per ſex circiter ſeptimanas adhibitis artis adminiculis, vagina toto ſuo tractu admodum ampla evaſit, ut duo digiti commode inferri poſſent. Aegrota convaleſcens urbem noſtram reliquit, et tandem ſecunda vice gravida facta, iterum Moſquam adiit menſe Iulii anni 1806. Exploratione nunc iterum inſtituta obſervavi,

caput infantis quidem praevium inveniri, at enim vero pelvim juſto anguſtiorem eſſe. In ſumitate pelvis, eo praecipue loco, quo ſegmentum uteri inferius cum poſteriore pariete vaginae contiguum eſt, ſingularis cohaeſio praeternaturalis adfuit, quae digiti intromiſſionem arctabat et difficilem reddebat. Partus dolores primos percepit media nocte inter VI et VII Auguſti, qui haud interrupta ſerie continuarunt per biduum. Singulare ac memorabile phaenomenon obſervatum eſt ſecundo die, a partús initio inde. Voluit enim alvum exonerare parturiens; at enim vero nihil praeter ſanguinem ſincerum per rectum evacuare potuit. Decurſus partus ipſius probavit poſtea, eo ipſo tempore, vi dolorum aperturam praeternaturalem factam fuiſſe in pariete poſteriori vaginae et in inteſtino recto. Caput in ſumitate introitus pelvis fixum ac immobile haerens, nixibus validiſſimis editis, tandem in medium pelvis cavum intravit, et cum ibidem firmiter incuneatum et immobile eſſet, conſtitui, verſus veſperam die VIII Auguſti forcipem applicare obſtetriciam. Verum enim vero paragomphoſis erat tanta, ut brachium maſculum non ſine maxima difficultate, foemineum autem nullo modo intromitti poſſet, quare forcipem iterum extrahere obſtrictus fui. Dolores jam languefcentes, quorum effectum per Integram noctem

fruftra expectavi, caput nullo modo magis propellere potuerunt, quod immobile, ac firmiter in pelvi incuneatum, inventum eft. Tumor fuccedaneus capitis quondam renitens, nunc flaccidus evafit, et offa bregmatis, a putredine jam incoepta, tandem mobilia facta funt. Cum praeterea per x horarum fpatium urina, a compreffione canalis urethrae, penitus effet retenta, annuentibus agnatis parturientis, iterum confilium cum aliis medicis inivi et conftitutum eft, quia forceps nullo modo ob paragomphifin capitis intromitti poffet, et ifchuria ipfa inftans periculum indicaret, perforationem capitis illius infantis inftituere, cujus mors jam per putredinis manifeftae figna, extra omnem dubitationis aleam pofita erat. Hanc itaque perforationem in praefentia experientiffimi Doctoris et Profefforis H———t et Doctoris D———fky, ope perforatorii Lowderi inftitui die IX Augufti, hora matutina nona. Immiffo perforatorio, offa bregmatis ftatim collapfa funt, et caput extraxi nunc forcipe aeque ac truncum infantis, in quo praeter epidermidis feceffum, etiam putredo maculis lividis corporis, et foetor maximus, obfervabantur. Puerpera, quamquam laboriofo ac diutius protracto partu quam maxime effet debilitata, attamen nullo infolito quodam univerfali morbo in ftadio puerperii vexabatur, et

facile convaluit. Topicum autem remanſit vitium, primis poſt partum ſeptimanis, id eſt, foecum alvinarum excretio per vaginam et mingendi qualiſcunque difficultas. Exploratione accuratius inſtituta nunc enim obſervavi, eo ipſo tempore, quo ante forcipis applicationem ſanguis alvo rejectus fuerat, aperturam praeternaturalem in ſumitate poſterioris parietis vaginae, nixibus validiſſimis editis, factam fuiſſe. Applicatus fuit tubus cylindricus vaginae, ex linteo convoluto et carpto, cujus ſumitati balſamum arcaei inungebatur, et quotidie inſimul adhibitae ſunt injectiones detergentes. Quibus remediis per aliquot ſeptimanas adhibitis, illud oſtium praeternaturale penitus conſolidatum eſt, ita, ut aegrota tandem facile mingere, et alvum ſolita ratione abſque ullo incommodo deponere poſſet. Hanc ipſam foeminam, poſt biennium iterum elapſum, vidi et eamdem ſaniſſimam agnovi.

Patet itaque inde, in hac parturiente veram fuiſſe capitis in peſſimo gradu paragomphoſim, et pelvis anguſtiam, nec non vaginae athreſiam, quae omnia in hoc caſu applicationem perforatorii (quo rariſſime utor) abſolute neceſſariam reddiderunt.

Liceat denique mihi hoc ipſo loco palam profiteri, me *perforationem capitis infantis* in praxi

privata, per tot annos, *bis* tantum inſtituiſſe, et quidem praeter caſum illum modo commemoratum, adhuc *ſemel* die XI Aprilis anni 1802 in capite incuneato parturientis cujusdam R — ſcheff. Partus dolores per biduum in eadem incaſſum continuaverant ante aditum meum, et denique penitus ceſſarunt. Infans erat mortuus nec non putridus, et forcipis applicatio, pluries fruſtra tentata, locum habere non potuit, quare ſumma urgente haud inevitabili neceſſitate invite coactus fui, ad hanc operationem confugere. Excerebratio enim infantis in genere cuilibet obſtetricatori haud parum dedecori eſt. Experientia vero in praxi multorum annorum, quae in urbibus pracipue majoribus exercetur, demonſtravit hucuſque, perforationem capitis non ſemper evitari poſſe. Nihilominus tamen me perſuaſum habeo, illam *rariſſimo in caſu* tantum inſtituendam, et plurimum vitandam eſſe. In quacunque enim alia paragomphoſi capitis, et in quovis alio partu lenteſcente, forceps obſtetricia mihi ſemper ſperatum praeſtitit effectum, quod hiſce ad veritatem appoſite, lubenter teſtor.

Quod vero *vectis* applicationem attinet, ingenue fateor, me, ob irritationem et contuſionem partium generationis negotio dicatarum, illum *rariſſime* adhibuiſſe. Quamdiu enim dolores ad par-

tum ſatis efficaces continuant, eodem vix opus eſt, et iiſdem langueſcentibus vel ceſſantibus, vectis pro terminando partu non ſufficit.

Caput CIX.

De vagitu uterino.

Difficile eſt diſquirere, difficilius etiam determinare, an *vagitus vel ploratus infantis in utero revera locum habeat, nec ne?* In utramlibet partem, paribus fere auctoritatum momentis, apud medicos, ab Hippocrate inde ad hodiernum uſque diem, haec librata manſit quaeſtio. Quamquam, ob tantum inter varios ſcriptores diſſenſum, haeſitandum eſſe videatur, utrinam ſententiae affirmativae, an negativae ſubſcribendum ſit, equidem ingenue fateor, me ab omni tempore in negativam potius inclinaſſe. Foetus enim in utero aëris neſcius eſt, adeoque illum ſibi ignotum expoſcit nuſquam. In mediis potius vivit undis, utero ipſo et triplici involucro membranaceo quaquaverſum incluſus, neque ullam aëris ambientis preſſionem experitur. Per quas,

quaefo, vias aër eo penetrabit? et quomodo abfque aëre refpiratio vel vagitus in utero fiet, illaefis membranis, nec perruptis aquis? Fruftra regerent mihi, pullos gallinaceos fub ultima tempora incubationis, teftis ovorum fiffis et non fiffis, pipientes obfervari. Similia de foetu humano dici non poffunt. Pullus enim in ovo integro circa xx diem incubationis non folum pipit, prouti ipfe vidit Illuftris *Hallerus* (*) fed etiam refpirat et aëris ufuram habere poteft in ovo, quod integrum habetur. Id enim elementum per innumeras vias, prouti *Bellinus* et *Staehlin* demonftarunt, in ovum venit, et fub finem incubationis confumta eft aqua amnii, nihilque impedit, quo minus roftro, tunc jam duro, et confirmatis ungulis amnion laceraverit. Pulmo pulli etiam, ante incubationis debitum terminum abfolutum, natatilis fit, manifefto indicio, illum in ovo integro jam refpiraffe. Non ita in foetu humano, cujus pulmones ante partum aëre nunquam fuerunt diftenti, et ob eamdem rationem non funt natatiles, fed in aqua femper fundum petunt. Hifce itaque, et gravibus quidem, rationibus ductus, praecocibus ejufmodi infantis in utero clamoribus omnem fidem denegavi, et vagitum uterinum dulcibus

---

(*) Vid. *Halleri* elementa phyfiologiae corporis humani Bernae 1766. Tom. VIII. pag. 402.

fomniis delirantium vetularum adnumeravi, vel pro gerris gerrarum habui. Neque mihi ipfi contrariae obfervationis hucufque contigit effe teftem autacuftum: quare etiam a me impetrare non poffum, ut nunc ab illa fupra prolata opinione recedam, fed litis illius compofitionem, experientiae ac judicio aliorum peritiffimorum virorum, relinquo. Verum enim vero, dum in hac commentatione facta hiftorica, fimplici ac nuda veritate commemorare annifus fim, filentio praeterire non poffum, praxin meam in hac vaftiffima noftra urbe, fpatio plurium annorum, mihi *tres cafus* obtuliffe, quibus foeminae totidem nobiles, animi non levis, nec fuperftitiofi, fed prudentis, mihi afleverarunt, fe vagitum uterinum in femet ipfis expertas effe, eumque fuis auribus audiviffe. Quamquam maxime ab eo fim alienus, neque aniliter admodum credulus, ut eo ipfo jam vagitum uteri extra omne dubium collocatum effe, cenfeam, attamen mearum partium nunc effe, arbitror, obfervationes has, ad veritatem appofite, orbi erudito communicare. Ne vero haec inter aeftumatiffimos collegas meos, qui eodem loco mecum praxin medicam exercent, omni veritatis fpecie deftituantur, veniam ab iifdem parturientibus petii et impetravi, ut nomina earum, majorem in fidem, publice in medium proferam.

I. Foemina nobilis *Anna Bafilii* filia *Chamaecoff*, uxor ducis generalis exercitus, quae die 13 Iulii anni 1809 partum naturalem, me praefente, edidit, commemoravit mihi, fe, verfus medium menfem octavum, vagitum infantis in utero femel audiviffe, dum domi effet. Secunda vice, fub finem octavi menfis, idem factum eft in domo confanguinei ejus *Sukovnin.* Hora fexta circiter vefpertina gravida noftra ex inopinato motum infolitum et calcitrationem violentam infantis percepit, et eodem ipfo tempore audivit duplicem repetitis vicibus *ploratum*, feu *vagitum* ejus, illi non abfimilem, quem infans neonatus et ex fomno expergifcens edere folet. Ejulatus hic, quamquam vox fonum haberet fufcum, talis tamen fuit, ut ab adftantibus etiam audiretur. Confanguinea enim ejus praefens foemina nobilis, *Sophia Bafilii* filia *Sukovnin* et ancilla ejus, vagitum hunc pro ploratu fui infantis, filiae quinque menfium, habuerunt, et omnes tres exinde non parum perterrefactae funt. Fides fit penes illas. Veritatem facti autem pluries mihi teftati funt omnes, et ad hunc ufque diem, cuilibet, qui rem in dubium vocare voluerit, teftantur.

II. Foemina nobilis *Alexandra Petri* filia *Vafiltfchicoff*, fecunda vice gravida, fub initio noni

menſis, hora matutina octava, dum e lecto ſurgere vellet, vehementiorem infantis motum percepit, et ſtatim etiam verum *ploratum* vel *vagitum* ejus *in utero* audivit. Quae cum non abſque animi conſternatione gravidae facta eſſent, illa attonita et funeſto praeſagio partus inſtantis perculſa, eodem die ad me miſit, et incorrupta fide mihi non tantum commemoravit, ſed veritatem facti contra omnia dubia a me prolata, cum vehementia quadam, contendit.

Partum ſuo tempore edidit die xxv Octobr. anni 1807, et filia haec aetate minor adhuc in vivis eſt. Obſtetrix ipſius erat *Catharina Krüger.*

III. Generoſiſſima *Catharina Alexandri* filia K—g—y, uxor ducis generalis exercitus, octo menſium gravida, ceterum ſaniſſima, verſus medium menſem Septembrem anni 1809 hora undecima veſpertina, dum inter ſomnum ſitum corporis in oppoſitum latus, cum vehementia quadam, mutare vellet, violento motu infantis in utero expergefacta, et magis etiam diſtincto ejus *vagitu* audito, perterrita eſt. Illud idemque confirmavit maritus, qui non tantum pone lectum uxoris praeſens erat, ſed etiam lectione libri eodem temporis momento a

ſomno maxime alienus. Uterque dixerunt vocem fuiſſe diſtinctam, ploratui infantis tenelli neonati ſimilem, et veritatem facti eſſe extra omne dubium poſitam.

Excellentiſſimi viri uxor, die XXVII Octobris 1809 partum edidit naturalem atque facilem, et filius adhuc in vivis eſt.

Has foeminas nobiles earumque cognatos nihil enarraviſſe, niſi quae vere ſenſerunt et audiverunt, vel certe ſenſiſſe et audiviſſe opinantur, nemo, puto, facile erit, qui dubitet. Quid de *veritate facti* quisque ſtatuat, libero cujuſque arbitrio reliquendum. Mihi quidem non abs re viſum eſt, has obſervationes adjicere, quippe quae alios forte viros medicos incitabunt, ut, quae ipſis de hac re obſervare contigit, publici juris faciant. Ita forte vetus haec lis dirimetur.

Fieri enim poſſe, ut infans in utero latens vagitum edat, multis retro ſaeculis creditum eſt, nec defuerunt viri docti, qui fidem narrationibus gravidarum tribuerent. Sufficit ex his nominaſſe *Robertum Boyle* (*),

---

(a) Confer. *Roberti Boyle* nova experimenta Phyſico-Mechanica. Genev. 1677. De vi aëris elaſtica Exper. 41. pag. 144. „*Cum non ſit vana* „*fabula, infantulos in utero matrum auditos eſſe vagientes. Et ipſe* „*Dominam novi, cujus amici apud me conqueſti fuerunt, illam va-* „*gitu infantuli ſui multoties fuiſſe terrefactam.*

Sennertum (b), *Camerarium* (c), *Thom. Bartholinum* (d), *Needham* (e), *Bohnium* (f), *Weinrich* (g), *Borellum* (h), *Riedlinium* (i), *Cappelerum* (k), et *Fiſcherum*

(b) *Sennerti* pract. med. Libr. IV. Cap. 8. pag. 374. qui refert, Miſenae foetum in utero ploraſſe.

(c) *Camerarii* memorabil. medic. p. 868: parentes foetus foeminei vagitum perceperunt.

(d) *Thom. Bartholini* Hiſtor. Anat. Cent. 1. pag. 1. ſq. de foemina quadam ferebatur, cujus foetus a multis fide dignis vagire dicebatur. Chriſtianum II Danorum regem, utero materno clauſum, vagitum ediditſſe, teſtantur annales Hafnienſes. Vid. *Schurigii Embrylogia*. p. 162. Prima veſtigia vagitus uterini inveniuntur in Livîi Hiſt. Rom. L. XXI.

(e) *Needham* diſquiſit. de form. foetus in Bibliotheca anatomica. Tom. I. fol. 553.

(f) *Ioannes Bohnius* in diſſert. I. de infanticidio in tractatu de vulnerum lethalitate enumerat, anno 1684 foeminam praegnantem, vagitum penes ſe aliquoties, et ſemet ipſum illi aſſidentem, percepiſſe.

(g) *Mart. Weinrich* de ortu monſtror. Cap. 26 dixit, infans triduo antequam ederetur in lucem, nullo ad exitum parato aditu, flere auditus eſt in hac urbe Breſla.

(h) *Petr. Borelli* in Hiſt. med. phyſe. Cent. III. Obs. 72 p. 254. Ipſe refert, vagitus uterini certum ſe in patria, Lutetiae ſcilicet, exemplum habere.

(i) *Riedlin* Linear. Med. Obs. 8. p. 629. et 4. de foemina gravida, quae cum de lecto mane ſurgere vellet, inconſuetum vagientis ſonum percepit, et exinde non parum perterita fuit.

(k) *Cappeler* Medicus Lucernenſis, de vagitu uterino teſtis autacuſtus fuit, utpote qui prima die Ianuarii 1735, per quindecim ante partum dies, in propria conjuge, horis matutinis e lecto ſurgente, una cum

(l), ut de illis taceam, qui idem phaenomenon in animalibus brutis ſe obſervaſſe contendunt (m). Forſan etiam, exempla de *engaſtromythis*, *ſive* ita dictis *ventriloquis* (Bauchredner), opinioni illorum auctorum, qui vagitum uterinum ſtatuunt, adminiculo eſſe poſſunt (n).

---

illa ipſa, perceptibilem ploratum infantis in utero obſervavit. Vid. Haehne de vagitu uteri ominoſo diſſertatio, in Actis Naturae curioſorum. Vol. VII. p. 46.

(l) Ioannis Bernh. de Fiſcher, qui Rigae vixit, de ſingultu et vagitu uterinis in Act. Nat. curios, vol. x. p. 257. commemorat: Dubia ſit fides auctorum, mihi indubia manet fides foemenae mihi propinquae, quae nono graviditatis menſe binis vicibus uno eodemque die foetum ſuum vagiviſſe audivit. Conferatur etiam a *Bergen* diſs. de vagitu uterino. Francof. 1774. et Commercium litterarium Norimb. anni 1733. p. 207, quo novum exemplum vagitus uterini anni 1731, in muliere quadam enarratur.

(m) De catellis in utero baubantibus vid ſupra memoratus Fiſcher. p. 259. de muribus. Ephem. nat. Curios, ann. x. Obs. 122. et obs. 135. in utero felis vid *Paulini* Sat. Dec. V. Obſerv. 7.

(n) Videatur *Loeſcher diſſert.* De engaſtromythis. Lipſiae 1663. nec non *Breſlauer Samlungen.* 1724 pag. 297 Confer. etiam *Thebeſii obſerv.* 88. in *Actis Nat. Barioſ.* vol. x pag. 337 de innupta muliere *Catharina Marghof*, quae in urbe Pruſſica Tilſit anno 1753 degebat. Haec per aliquot ſeptimanas pluries aegrotavit, ita ut per plures horas tota obrigeſceret trunci adinſtar immobilis. Tum in ejus corpore modo ad pedes illius, modo alibi tympani cujuſdam ſonitus, audiebantur, non eodem ſolo modo, quo copiae pruſſicae mane et veſperi, nec non ad iter ſe accingentes utuntur, ſed et cum pulſibus longe celerioribus et ſat validis. Ultimo tales fuerunt pulſationes, quales fabris ferrariis

Verum enim vero, in contrariam ſententiam proni ſunt alii non minus celebres viri, qui non ſine ratione dubitant, an revera talis vagitus uterinus fieri poſſit, vel a quopiam unquam ſit obſervatus. Statuerunt itaque, omnia illa, quae audiverint matres praegnantes vel adſtantes, ſibilum fuiſſe inteſtinorum, borborygmos, et murmura in infimo ventre, quibus auctoribus praecipue adnumerandi ſunt *Drelincourt* (o), *Valisnieri* (p), *Stalpart von der Wiel* (q), et *Cockburne* (r).

in ferro cudendo familiares. Elapſo aliquo temporis ſpatio ad ſe redire videbatur mulier, multis cum ejulatibus, de angore animi quiritans etc.

Mirum autem videtur, quod idem fere phaenomenon, recentiſſimis temporibus in aegrota obſervatum ſit, cujus hiſtoria morbi enarrata invenitur in celeb. *Hufeland Journal der practiſchen Heilkunde.* v. Band. p. 846. Aegrota haec ſummis ſpaſmis correpta eſſe videbatur, remanente tremore in artubus, quo facto pulſatio triplex ſatis diſtincta ab adſtantibus et medico percepta eſt, ac ſi quis fortiter lectum, vel interdum ac ſi januas pulſaret. Idem in hoc ſomno exſtatico obſervatum fuit, ſi aegrota alium hypocauſtum petierat vel gremio medici inſideret. Celeberrimus Hufeland electricitatis vim occultam in hoc morbo accuſat, at enim vero forſan etiam eſt effectus morboſus engaſtromythorum ſive ventriloquorum.

(o) *Drelincourt* opuſcula medica. Hagae comitum 1727. in 4. pagina mihi 575.

(p) *Valiſnieri* opera 1. p. 366.

(q) *Stalpart von der wiel* obſervat rarior. Cent. poſt. Obſ. 32 p. 357. dixit credibile eſt, deceptos fuiſſe, qui putarunt, ſe ſonum aliquem foetus audiviſſe.

(r) *Cockburne* oeconon. Animal. p. 268. quare quoque vagitum ullum fieri, qui, pulmonum ab aëre diſtentionem ſupponat, maxime dubito.

Inter omnes auctores hujus argumenti, inprimis prudenter et circumſpecte judicium tulit illuſtris Hallerus (s), qui enunciavit „*vagitus uterinos,* „*ſi vere aliquando ſunt exauditi, evidenter peculiarem,* „*poſcere caſum, in quo membranae quidem ruptae ſint,* „*quod non infrequenter ante partum fit, et perpetu-* „*um eſt in partu longo et laborioſo, in cujus principio* „*aquae effluxerunt, ſi aëri modo acceſſus datus fuerit,* „*et praeterea caput eo modo converſum, ut aërem de* „*vagina habere potuerit, poſſit demum dari, foetum* „*et reſpirare poſſe et vagire.* Eidem opinioni accedit celeberrimus *Oſiander* (t), qui aſſumit, vagitum infantis in utero aeque ac reſpirationem fieri poſſe Imo. ſi praeter caput in lucem editum, truncus infantis in ſinu parturientis adhuc latet. IIdo. Capite intus haerente, ſi os infantis velamentis ovi disruptis, haud ita procul ab orificio uteri abeſt. IIIo. Capite intus haerente, quamquam truncus pedibus praeviis in lucem edidus eſſet. Addit vir celeberrimus, ſe repetitis vicibus ipſa experientia de

(s) Vid *Halleri* elementa phyſiologiae corporis humani. Tom. Octavus. Bernae 1766 pag. 402.

(t) Confer Celeb. *Oſiander* neue Denkwiirdigkeiten für aerzle und geburthshelfer 1 Bandes zweyte Bogenzahl. Göttingen 1799. pag. 88. Articulus 67.

veritate hujus phaenomeni perſuaſum ſibi habere, etiamſi id a priori plane inpoſſibile videretur.

Neque tandem recentiſſimis temporibus caremus exemplo, quo extra omne dubium poſitum eſt, vagitum et reſpirationem infantis in utero adhuc haerentis, inter partum, non tantum fiere poſſe, ſed revera obſervatum eſſe, quem itaque breviter enarrare liceat. Clariſſimus *Thilenius* (u), anno 1805 die 30 Septembri ad parturientem quamdam nomine *Damm* vocatus eſt, in qua ob denteſcentem et diutius protractum partum, forcipis obſtetriciae applicatio neceſſaria erat. Velamenta ovi partim forcipe, partim annullo Steinii diſrupta ſunt, et parva quantitas liquoris amnii effluxit. Immiſſo vero jam utroque brachio forcipis, dum divergente directione manubria ejus teneret cl. Thilenuis, eodem ipſo momento quinquies vel ſexies *vagitum ſive ploratum* infantis *audivit*. Idem audiverant maritus, obſtetrix et cognata quaedam parturientis. Dubitavit in initio medicus ille, an vagitus ille revera ab infante ex utero oriretur, quare poſt aliquod tempus bra-

(u) Vid. *Perilluſtris* LODERI Journal für die Chirurgie, geburthshülfe und g richtliche Arzneykunde. 4ter Band Jena 1806 pag. 638 ſub articulo *Vagitus uterinus* beobachtet von Dr. H. C. Thilenius, Phyſicus zu Lauterbach.

chium forcipis finiſtrum alia directione movebat, et aure ſua externe appoſita, diſtincte iterum audivit et nunc tandem perſuaſum ſibi habebat, nullam hic locum habuiſſe illuſionem, ſed revera infantem vagiviſſe (v). Hac ipſa obſervatione phaenomenon illud, in medicina forenſi attentione maxima haud indignum, extra omne dubium poſitum eſt, infantem ſcilicet ante partum editum etiam, quamquam integer adhuc in utéro haereat, reſpirare et vagire poſſe (x).

Verum enim vero ſiſto hic gradum. Non mearum partium eſſe arbitratus ſum, tantas componere lites. Sufficit facta enumeraſſe hiſtorica, quorum ulteriorem enodationem et explicationem, experientiae, et ſagaci judicio aliorum peritiſſimorum virorum, lubenter committo.

(v) En ſunt cl. *Thilenii* ipſiſſima verba: Ich hörte wahrhaftig die klagetöne eines zarten kindes, wie ſie im engen Raume ſchallen können, fühlte ſogar am rechten Zangenſtiele correſpondierrende Bewegungen, wie ſie das beym Winſeln nöthige Oefnen und Schlieſſen des Unterkiefers und das Steigen und Fallen der Bruſt und Achſeln mittheilen muſten. In peculiari adnexa nota celeberrimus *Loder* teſtatur, auctorem hujus obſervationis clariſſimum *Thilenium* virum eſſe fide digniſſimum, et addidit verba *Shakeſpeari*: Es giebt viel Dinge unter dem Monde, wovon ſich unſere Philoſophie nichts träumen läſst.

(x) Confer. cl. *Metzger* gerichtliche medicinische Abhandlungen vom Jahre 1803.

Caput CX.

Brevis enumeratio earum, quibus parturientibus in praxi privata adesse, quarumque puerperarum curam gerere hucusque mihi contigit.

1. Al—n die 15 Octobr. 1797. Partus gemellorum, quorum alter infans ſitum habuit naturalem, alter tranſverſalem, dorſo praevio. Verſione artificiali inſtituta hic vivus eductus et aeque ac alter ſanus in lucem editus eſt. Obſtetrix. H—z—r.
2. All—t partus naturalis die xi Novembri. 1793. Nodi lactei mammarum reſoluti ſunt abſque ſuppuratione. Puerperium fauſtum. Obſt. M — f.
3. An—w die 6 Ianuar. 1803. partus naturalis. Obſt. K—ck.
4. An—y die 22 Mart. 1796. partus lentus capite praevio, forcipe obſtetricia abſolutus. Filia adhuc in vivis eſt. Obſt. S—b—n.
5. Ap—n (M. P.) die 11 Octobr. 1800 partus lentus per xx horas forcipe feliciter terminatus. Obſt. H — z — r.

6\. *Ejusdem* partus naturalis filiae die 15 Octobr. 1801. In puerperio per XVII dies febri continua aegre decubuit, et tandem convaluit. Obſt. H—z—r.

7\. *Ejusdem* partus naturalis die 7 April. 1804. Placenta ſponte a natura ſoluta eſt. Bihorio vero circiter poſt partum abſolutum, haemorrhagia uteri facta eſt cum animi deliquio. In puerperio febri vexabatur per duos fere menſes. Metaſtaſis lactea et abſceſſus metaſtatici ad ſuras. Convaluit tandem poſt diuturnam morbum. Obſt. H—z—r.

8\. Arb—w (A. N.) die 7 Februar. 1804. partus naturalis. puerperium fauſtum. Obſt. B—n.

9\. Ari—w die 15 Iul. 1796. placenta poſt partum naturalem diutius relicta, arte a me ſoluta eſt. Puerpera convaluit Obſt. S—n.

10\. Arſch—y (A. N.) die 8 Novembr. 1803. partus naturalis. Obſt. H—g—n.

11\. *Ejusdem* partus naturalis die 18 Ianuar. 1805. Obſt. H—g—n.

12\. *Ejusdem* die 29 Mart. 1806 partus naturalis. In puerperio febri per XIV dies laboravit, quae ex refrigerio exorta erat. Obſt. B—n.

13. *Ejusdem* partus naturalis die x Februar. 1808. Obst. B——n.

14. Arſ—w uxor N. M. die 5 Martii 1801. Partus praematurus habitualis verſus finem ſeptimi menſis. Infans in lucem editus, altero die obiit. Cauſa primi abortus fuit commotio externa, durante itinere vectione in rheda accepta. Obſt. S — r.

15. Arſ—w (W. A.) partus a die 13 Februarii 1805 inde, ad diem 16 Februarii uſque protractus, ob paragomphoſin veram capitis, et ob faciem infantis ſuperam. Infans tandem forcipe extractus eſt. Obſt. A—rs. confer. Caput cv.

16. Arſ—w (E. P.) primipara 30 circiter annorum, habitus corporis obeſi, media ipſa nocte primos partus dolores percepit, et hora meridiana jam facilem partum edidit, die 14 Iul. 1809. Obſt. B — n.

17. Awd—n die 16 Mart. 1800 partum edidit naturalem, et quamquam refrigerium maximum perpeſſa eſſet in hypocauſto frigido, attamen puerperium habuit fauſtum. Obſt. H—z—r.

18. Ba—h partus tergeminus die 9 Ianuar. 1797. Infans primogenitus mortuus ſponte a

natura exclufus erat die 8 Ianuarii verfus vefperam. Cum vero placenta moram ageret, me altero infequente die in auxilium vocavit obftetrix G—ch. Miratus fum maximum adhuc abdominis volumen, et exploratione inftituta inveni, alterum ineffe infantem, qui fitum in utero habuit tranfverfalem. Difruptis velamentis, et verfione inftituta, eductus eft fecundus, et tandem etiam tertius infans vivus. Placenta triplex, velamentis fibi invicem acquiefcentibus, fponte a natura excreta eft et puerpera penitus convaluit.

19. Bag—n (Pr. A. I.) die 9 Decembr. 1807 partus naturalis, puerperium fauftum. Obft. B — n.

20. Ba — é (N. S.) die 14 Maji 1806. Primipara erat quam maxime obefa; partus tamen cito, per trium horarum fpatium, feliciter abfolutus eft. Obft. H — n.

21. Bar—n (M. D.) die 2 Novembr. 1802. Conceptio fpuria fecundo menfe excreta eft. Placentula, tenui ac pellucido humore repleta, integra ejecta erat. Foetus autem nec minima veftigia detegi po-

tuerant. Probabiliter conceptio fuit ſpuria *(faux germe)*. Obſt. M — z.

22. *Ejuſdem* partus naturalis die 19 April. 1804. In puerperio abſceſſus lacteus factus eſt, qui per tres ſeptimanas duravit. Obſt. B — n.

23. *Ejuſdem* partus naturalis die 28 Iunii 1805 citiſſime abſolutus. Obſt. B — n.

24. *Ejuſdem* partus naturalis die 18 April. 1807. Obſt. B — n.

25. Bar—n (W. A.) die 22 Iunii 1805 primipara, habitus corporis obeſi, partum naturalem edidit facile. Ob animi vero commotionem febris continua et ſingularis tumor metaſtaticus nec non dolor in inguine exoriebantur. Aegrota per tres ſeptimanas graviter decubuit et tandem convaluit. Obſt. B — n.

26. Bar—ky die 4 Maji 1800 partus lentus naturalis, praeſente obſtetrice S — nn abſolutus, puerperium fauſtum.

27. Bar—ow (E. I.) die 13 Martii 1806 partum edidit facilem et naturalem et per XII dies optima ſanitate fruebatur. Ira vero deinde commota, inſultum habuit apoplecticum, qui per XXI horas duravit,

et lethalis factus eſt die XXVII Martii. Obſt. A — s. confer. Caput XXII.

28. Bat—n (uxor P. A.) die 30 Novembr. 1806 partum edidit naturalem. Obſt. K — r.

29. *Ejuſdem* partus naturalis die 12 Novembr. 1808. Placenta per VII horas remanſit et, ob haemorrhagiam uteri inſequentem et ſyncopem, arte a me ſoluta eſt; puerpera convaluit. Obſt. K — r.

30. Be—nn (E. G.) partus naturalis primiparae die 9 Auguſti 1808, qui ſpatio XIII horarum feliciter abſolutus eſt. Obſt. B — n.

31. *Ejuſdem* partus naturalis die 7 Iul. 1809. Obſt. B — n.

32. Bek—w (P. P.) abortum paſſa eſt die 16 Februarii 1796. Ovulum abortivum gemellorum, ſexta circiter hebdomade exacta, ſponte excretum eſt, cujus deſcriptio invenitur Capite XIX. Obſt. M — z.

33. *Ejuſdem* die 26 Ianuar 1798, partus naturalis feliciter abſolutus. Obſt. M — z.

34. Bek—w (A. N.) die 13 Iunii 1803 partus primiparae, qui incoepit ab hora quarta matutina die 12 Iunii inde et ſponte

naturae viribus abſolutus eſt die 13 Iunii hora quinta matutina. Obſt. B—n.

35. *Ejuſdem* partus naturalis citiſſime per VIII horas abſolutus die 24 Maji 1804. Obſt. B—n.

36. *Ejuſdem* partus naturalis per trium horarum ſpatium ſponte naturae viribus abſolutus die 2 Octobr. 1806. Obſt. S — nn.

37. *Ejuſdem* partus natibus praeviis naturae viribus abſolutus die 18 Novembr. 1807. Obſt. F—n. Infans vivus.

38. *Ejuſdem* partus natibus praeviis naturae viribus abſolutus die 21 Novembr. 1809. Partus digito indice plicae inguinali appoſito a me terminatus eſt. Infans vivus. Obſt. Br — g.

39. Bek—w (O. S.) partus lentus, qui a die 24 Iunii ad diem 27 Iunii 1806 continuavit, et forcipe a me terminatus eſt. Puer vivus. Obſt. Str—r. Hiſtoria partus deſcripta eſt Cap. CI.

40. Ben—rf (E. I.) die 22 Februar. 1804. Partus naturalis citiſſime abſolutus in foemina nobili multipara. Puer vivus. Obſt. M—f.

41. Beſch—w die 5 Iunii 1800. Placenta poſt partum diutius remanſit et a me arte ſoluta eſt.

42. Beſt—ſſ (N. V) die 1 Maji 1803 partus naturalis primiparae per XVII horas protractus. Obſt. S — nn.

43. *Ejuſdem* partus naturalis die 20 Iulii 1804. Obſt. S — nn.

44. *Ejuſdem* partus naturalis die 3 Auguſti 1805. Obſt. B — n.

45. *Ejuſdem* partus naturalis die 14 Iunii 1806. Obſt. B — n.

46. Bev — n die 27 Iulii 1797 partus praematurus ſexto graviditatis menſe habitualis. Infans mortuus. Placenta diu moram egit, et ob haemorrhagiam ingentem ſubortam arte a me educta eſt. In puerperio aegre decubuit, et non ſine maxima difficultate convaluit. Obſt. R — ch.

47. Bib—w (C. A.) die 25 Octobr. 1800. Infans ſitum in utero habuit tranſverſalem, et verſione a me vivus eductus eſt. Hiſtoria partus deſcripta eſt Capite LXXVI.

48. Bib—w (E. A.) partus naturalis feliciter die 23 Iunii 1809 abſolutus me praeſente. Obſt. A — s.

49. Bib—w (N. G.) ſeptimo graviditatis menſe febri vexabatur continua, quam feliciter ſuperavit, quamquam per XVII dies con-

tinuaret. Tandem die 17 Maji 1802 partum feliciter edidit naturalem. Obſt. W — r.

50. Bl—k (A. G.) Die 25 Maji 1808 partum edidit naturalem foemina nobilis primipara, quae per IX annos in matrimonio vivens nunquam gravida facta fuerat. Puer vivus, mater vero in pueperio per XXI dies febri laboravit continua, et magna difficultate tandem priſtinam recuperavit ſanitatem. Obſt. S — nn.

51. *Ejuſdem* partus naturalis die 18 Iulii 1809. Puer itidem vivus in lucem editus eſt. Mater abſceſſum lacteum habuit in utraque mamma, et tandem penitus convaluit. Obſt. S — nn.

52. Bottk—n (C. I.) partus naturalis die 21 Februarii 1790. In puerperio febris continua cum metaſtaſi lactea ad caput ſeu phrenitis lactea facta eſt.

53. Bot—n partum edidit naturalem foemina multipara et obeſa die IX Octobr. 1808. Placenta per XXXIX horas in utero relicta, tandem ſponte a natura excluſa eſt abſque noxa puerperae. Obſt. K—r.

Hiſtoria partus deſcripta invenitur Capite XLVI.

54. Br—n (van) E B. die 2 Octobr. 1802 partum edidit naturalem. Obſt. M — z.

55. Bryk—n (O. S.) die XVI Auguſti 1803. Partus praematurus octavo graviditatis menſe, natibus infantis praeviis, ſponte a natura abſolutus in parturiente, quae febri continua nevoſa laboraverat. Hiſtoria partus deſcripta eſt Capite XCIII. Obſt. S — n.

56. *Ejuſdem* partus naturalis die 26 Mart. 1806. Obſt. S — n.

57. Buchw—w foemina nobilis in graviditate peripneumoniam ſuperavit, remanente ſputo cruento ac purulento. Partus naturalis atque facilis abſolutus eſt die 11 Novembri 1798. Poſt tres tandem menſes phtyſi et febri hectica conſumpta eſt. Obſt. B — n.

58. Buchw— w (C. A.) partum edidit naturalem die 22 Maji 1807. Optime valuit per dimidium annum, deinde vero phtyſi connata atque haereditaria e vivis erepta eſt. Obſt. B—n.

59. Bud—g (W. N.) die 18 Maji 1808 partus naturalis. Obft. B—n.

60. *Ejufdem* partus naturalis die 6 Ianuar. 1810. In puerperio abfceffu lacteo laboravit in mamma. Obft. B—n.

61. Bufch—ff die xı Augufti 1795, partus lentus forcipe a me feliciter terminatus. Infans vivus. Obft. M—r.

62. Cham—ff (A. V.) die 13 Iul. 1809 primipara, quae pelvis aperturam fuperiorem habuit amplam. Caput infantis vero in exitu pelvis diu moram egit et tandem fponte a naturae viribus in lucem editus eft. Puer vivus, puerpera febri nervofa laboravit per x dies et tandem convaluit. Obft. H—r.

63. Cha—y mulier primipara, in qua ob fitum infantis iniquum verfione infans educi debuit die 13 Novembr. 1802. praefente Medico M—s.

64. Cher—w mulier gravida quaedam, ob fitum uteri obliquum dextri lateris, partu vexabatur lento et diutius protracto. Poftquam fitus commodus in oppofitum latus ipfi conciliatus fuerat, partus fponte

a naturae viribus abſolutus eſt die 17 Februarii anni 1798. Obſt. Wer—r.

65. Cher—w (Com. C. I.) die 11 Octobris 1808 partum, et naturalem quidem edidit. Obſt. A—s.

66. Chil—w (Pr. E. P.) die 2 Auguſti 1796, partus naturalis filii. Obſt. M—f.

67. *Ejuſdem* partus capite praevio, ſed facie infantis ſupera, die 3 Novembr. 1797. Obſt. M—f.

68. Chil—w (Pr. M. I.) Mulier parturiens inanibus ad partum doloribus diu vexabatur, ob nates infantis in pelvis apertura ſuperiori praevias. Verſione inſtituta eduxi infantem vivum. Obſt. S—nn.

69. Chit—w (N. D.) Septimo menſe gravida dum eſſet, motus infantis ſemel ac ſimul ceſſavit in fine Ianuarii 1802. Quamquam venaeſectio ad brachium, nec non fomenta externa ſpirituoſa admota eſſent, tamen partum praematurum edidit die 8 Februarii infantis mortui, in quo epidermidis ſeceſſus jam obſervabatur. Obſt. S—b—n.

70. *Ejuſdem* partus naturalis infantis vivi et maturae aetatis, die 19 Iunii 1805.

71. Co—r (A. I.) partum naturalem edidit filiae die 25 Decembr. 1808.

72. Chr—i (M. F.) die 6 April. 1798. Partus lentus. Obft. M—z.

73. *Ejufdem* Partus naturalis die 19 Novembr. 1800.

74. Czer—ff (Pr. A. I.) die 24 Februar. 1800. Partus naturalis filiae. Obft. S—nn.

75. *Ejufdem* partus praeternaturalis die 21 Maji 1802. Placenta in orificio uteri praevia fuit, cum ingenti uteri haemorrhagia. Ob inftans vitae periculum, partus verfione accelerari debuit. Filia viva manfit. Hiftoria partus commemorata invenitur Cap. XXXIX.

76. *Ejufdem* partus naturalis filii die 7 Novembr. 1803.

77. Czer—ff (Pr. P. S.) die 13 April. 1806. Partus naturalis. Obft. S—nn.

78. *Ejufdem* die 7 Augufti 1807 partus naturalis.

79. *Ejufdem* die 17 Septembr. 1808 partus naturalis.

80. Czer—ff (Pr. E. A.) Trium menfium prima vice gravida iter cum marito ex Polonia fummo frigore hiberno fufcepit et tandem verfus finem Decembris 1809

Mofquam adiit. Die 2 Ianuarii anni 1810 affecta eft febri continua nervofa, cum phrenitide ambulante. Incaffum adhibita fuerunt hirudines pone aures, veficatoria, femicupia, excitantia volatilia et f. p. Supervenit tandem ftupor, pulfus undulans et intermittens, et omnibus bonis flebilis, e vivis erepta eft aegrota noctu inter 3 & 4 Ianuarii anni 1810.

81. Czer—ff (uxor Pr. S—A.) partum edidit naturalem die 28 Ianuarii 1810. Obft. S—nn.

82. Czerf—o abortum habitualem pluries perpeffa erat. Nunc tandem venaefectione parva, pluries inftituta, et regimine debito obfervato, prima vice filium vivum in lucem edidit die 28 Ianuar. 1800. Obft. R—e.

83. Czern—ff (Comit.) partum edidit naturalem die 8 Sept. 1808. Obft. M—z.

84. Czern—ff (A. P.) ter partum praematurum infantis mortui feptimo menfe graviditatis quondam ediderat. Nunc vero femicupiis ex aqua tepida et enematibus antifpafmodicis prima vice contigit,

partum, debito tempore graviditatis exacto, filiae vivae edere die 11 April. 1806. Obſt. M—f.

85. Czir—ſſ (N. I.) partum edidit lentum et naturalem, ob ſitum uteri obliquum, die 19 Octobr. 1804. Obſt. H—r.

86. *Ejuſdem* partus naturalis die 17 Septembr. 1806. Tertio die, poſt partum editum, incendium in domo parturientis factum eſt ex improviſo. Quamquam eodem maxime perterrefacta eſſet, et quamquam eodem ipſo tempore, quo febri lactea laboravit puerpera, in aliud hypocauſtum tranſmigrare deberet, tamen nullo inſolito morbo affecta eſt, et puerperium habuit fauſtum.

87. Dam—n (filia R—s) partum edidit naturalem die 18 Iunii 1805. Placenta per ſex horas in utero remanſit et, ob ingentem uteri haemorrhagiam, ſecundinae arte a me ſolutae ſunt, praeſente medico P—w.

88. Dav—ſſ (V. L.) febri continua inflammatoria laboravit ſub finem graviditatis, et undecimo tandem die partus 4 Iulii 1802

absolutus est sponte naturae viribus. Obst. S—nn.

89. Dem—ff partus gemellorum die 24 Ianuarii 1798. Alter partu naturali in lucem editus erat infans, alter vero a me per versionem eductus est, uterque vivus. Obst. S — nn.

90. Dell—s partus naturalis die 21 Martio 1790. Obst. M — f. Puerperium faustum.

91. Dellw—g partus per terrorem matris ob fulminis ictum acceleratus die 6 Aug. 1798. Infans vivus. Obst. St — r.

92. Dew—s. Apoplexia gravidae et parturientis lethalis, infante vivo per versionem extracto die 27 Mart. 1805. Historia partus descripta capite XXI.

93. Diac—w partus lentus, forcipe feliciter absolutus die 9 August. 1795. Obst. M—r.

94. Dil—e. Abortus quondam habitualis, nunc prima vice infantem maturum & vivum in lucem edidit die 15 Aprilis 1804.

95. Dop—r. Die 13 Mart. 1802 partus naturalis, quem insecuta est ingens uteri haemorrhagia et maxima debilitas puerperae. Obst. M — f.

96. Dolg—y. Retroverſio uteri gravidi. Per vectem uterinum repoſitio facta eſt die 30 Mart. 1796, et partus progreſſu temporis feliciter abſolutus eſt. Accuratior deſcriptio hujus caſus invenitur Capite v.

97. —— (I. V) mulier quaedam in domo Principis partu excruciabatur praeternaturali, ob nates praevias, die 25 Nov. 1796. Verſione inſtituta infans vivus in lucem editus eſt. Obſt. M — e.

98. —— In eadem domo partus gemellorum die 24 Auguſti 1797, quorum alter, ob ſitum tranſverſalem, verſione a me vivus eductus eſt. Obſt. M — e.

99. —— (Pr. D. A.) die 7 Auguſti 1805 partu naturali filiam peperit. Lactis affluxus maximus, quo ipſo mammae maxime doloroſae factae ſunt. In puerperio affectibus hyſtericis vexabatur. Obſt. W — r.

100. *Ejuſdem* partus die xı Sept. 1806.

101. *Ejuſdem* partus die 21 Decembr. 1807.

102. *Ejuſdem* partus die 21 Ianuarii 1809. Singulari pectoris oppreſſione laboravit, quae venaeſectionem neceſſariam reddidit. In puerperio aegre decubuit.

103. *Ejusdem* partus die 27 Mart. 1810. Dolores poſt partum admodum vehementes per triduum continuarunt, ut animi deliquium pluries exortum eſſet. Convaluit tamen penitus.

104. —— (Pr. C. P. filia T—ff) primipara partum lentum edidit die 6 Septembr. 1806. Obſt. M — z.

105. *Ejusdem* partus naturalis die x Nov. 1808. Puerperium fauſtum.

106. Drag—n die 21 Sept. 1805 partus tergeminus. Primus infans in lucem editus erat hora ſecunda pomeridiana, alter vero dum moram ageret, auxilium meum imploravit maritus hora undecima veſpertina. Infans hic ſecundus brachio jam diu praevius fuerat, quem verſione inſtituta extraxi mortuum. Tertius tandem ſitum tranverſalem habens, verſione itidem a me eductus eſt, ſed vivus. Triplex placenta ſponte a natura ſoluta eſt, et puerpera convaluit. Obſt. Wern — n.

107. Dru—koy (Pr. W. W.) partus primiparae lentus die 30 Aprilis 1805. Obſt. B—n.

108. *Ejusdem* partus naturalis die 20 Maji 1806.

109. *Ejusdem* partus naturalis die 31 Iulii 1808.

110. Dura—w die 27 Sept. 1809. Partus gemellorum, cum convulſionibus epilepticis parturientis. Alter infans forcipe, alter verſione eductus eſt, uterque vivus. Puerpera aegre decumbens tandem convaluit. Hiſtoria partus deſcripta Capite XXVII.

111. Dur—w die 28 Iunii 1808, partus naturalis, puerperium fauſtum.

112. Du—ow die 26 Iunii 1809 partus naturalis. Obſt. W—r.

113. Dü—k die 15 Ianuar. 1804, partus gemellorum, quo infans alter a natura vivus in lucem editus, alter autem verſione mortuus extractus eſt.

114. E—t die 12 Septemb. 1802. partus naturalis. Obſt. M—z.

115. *Ejuſdem* partus praeternaturalis die 31 Decembr. 1807. Ob ſitum infantis tranſverſalem, verſio inſtitui debuit. Infans vivus eductus.

116. En—b—ch die 22 Ianuar. 1797, partus naturalis.

117. *Ejuſdem* partus die 6 April. 1798.

118. En—h—t (P. I.) die 27 Aprilis 1798 abortu foetum quadrimeſtrem ejecit. Cauſa fuit commotio corporis in rheda. Obſt. W—r.

119. ——— (P. P.) die 29 Decembr. 1799, partus naturalis. Obft. K — k.

120. *Ejufdem* partus naturalis die 24 Sept. 1803.

121. Erm—l—ff placenta poft partum editum diutius relicta, arte a me foluta eft die 14 Septembr. 1802.

122. Fa—z—n die 12 Maji 1806, partus praematurus facilis aegrotae, quae per 2 menfes ante partum pleuritide ruri affecta fuerat, ex refrigerio admiffo. Tandem a natura fponte factum fuit empyema, inter coftas finiftri lateris. Aegrota poft 8 hebdomades poft partum, tabe et febri hectica confumpta fuit.

123. Fed—w (A. I.) die 4 fept. 1797. Partus in primipara obefa lentus, fed naturalis.

124. ——— (N. V.) partus naturalis die 18 April. 1809. Obft. N — n.

125. Fe—r—w die 2 Februarii. 1803. Partus forcipe applicata a me abfolutus eft. Facies infantis erat fupera ad offa pubis converfa, et ipfe infans vivus & magnus. Dolores ad partum, qui per integrum diem duraverant, tandem penitus ceffarunt, et ideo forcipis applicationem neceffariam reddiderunt.

126. Fl—s die 4 Septembr. 1797. Partus lentus, qui tamen ſponte a natura abſolutus eſt.

127. Fr—z die 29 Octobr. 1796. Partus capite praevio, quod diutius in exitu pelvis moram egit. Obſt. R — ch.

128. Gal—coff die 5 Novembr. 1795. brachium infantis in partu praevium. Verſione infans extractus eſt mortuus et putridus.

129. Gal—kin die 24 Iulii 1795. Apoplexia gravidae, ſeptimo menſe non lethalis, ſed praematuro partu ſublata. Confer. Caput XX.

130. Gal—n (Mulier in domo Principis A. M.) die 12 Octobr. 1800. Manus infantis praevia in parturiente, quae abſque mora auxilium quaeſivit. Haec, per verſionem ſtatim inſtitutam, non ſolum ſervata eſt, ſed ipſe infans etiam vivus manſit. Confer. Caput LXIX.

131. in *Ejuſdem* Principis domo partus gemellorum die 5 Octobr. 1798. a me verſione abſolutus, praeſente Protochirurgo Noſk—w. Uterque infans ſitum habuit tranſverſalem et vivus eductus eſt.

132. Gal—n (Pr. C. S.) die 9 Iulii 1800. Uxor illuſtiſſimi Principis primipara per XXVI

horas doloribus continuis et inanibus excruciabatur. Caput in exitu pelvis fuit incuneatum et immobile. Quare forcipem applicavi et filium eduxi fanum, qui adhuc in vivis eft. Obft. H—r. Singulare praeterea fuit phaenomenon in hac parturiente, quod ab octavo graviditatis menfe inde tumor oedematofus non tantum in pedibus, fed etiam in crure, femore, inguine et circa nates obfervaretur. Poft partum autem editum, diureticis remediis adhibitis, latex aquofus excernebatur et puerpera convaluit.

133. *Ejufdem* Partus naturalis die 7 Novembr. 1803. Obft. H — r.

134. *Ejufdem* Partus naturalis die 6 Septembr. 1808.

135. Gal—n (filia L— z — y) partus primiparae lentus, a naturae viribus abfolutus die 30 Ianuar. 1808. Puerpera affectionibus hyftericis et fpafmodicis inprimis, diu vexabatur ante & poft partum. Obft. H — r.

136. Gar—r Uxor mercatoris partum naturalem edidit die 28 Ianuar. 1797. Obft. M — e.

137. *Ejusdem* Partus praematurus díe 10 Octobr. 1799. In puerperio aegre decubuit, ob haemorrhagiam uteri ingentem, quam inter partum habuit. Debilitas summa. Verum enim vero tandem convaluit.

138. Gau—r Partus naturalis die 19 Maji 1798. Placenta relicta, quae ob sanguifluxum insignem arte solvi debuit. Obst. C—m.

139. Gau—r (Filia C—r) die 26 Nov. 1802. Convulsiones et motus epileptici, partu praematuro septimestri edito, sublatae in parturiente, quae tumorem oedematosum in hypogastrio habuit.

140. *Ejusdem* Partus infantis mortui die 25 Aug. 1804. Puerpera febri laboravit nervosa; postea vero convaluit. Obst. M—f.

141. Glat—w. die 4 Martii 1794, partus naturalís. In puerperio metastasi lactea ad extremitates inferiores affecta est. Convaluit.

142. Gle—w (A. V.) die 22 Nov. 1806. Partu naturali filium in lucem edidit, qui adhuc in vivis est. Obst. B—n.

143. Gi—t. partus naturalis die 8 Aprilis 1798. Obst. M—e.

144. Gol—n (A. M) die 12 Nov. 1800. Partus naturalis. Obſt. R — o.

145. *Ejuſdem* Partus die 8 Ianuar 1802. Obſt. R—o.

146. Gol—yn (Com.) die 6 Decembr. 1799. Partus naturalis. Obſt. M — f.

147. Gor—ky (E. I.) die 12 Maji 1798. partus naturalis. Obſt. M — z.

148. Gort—ow die 6 April. 1802. partus naturalis lentus Obſt. M—e.

149. Gras—sky die 14 Octobr. 1804 partus naturalis. Obſt. S — nn.

150. Gre—e (E. A.) die 8 Nov. 1796. Convulſiones epilepticae in gravida, quae per XVI horas continuarunt, et artificiali infantis ſeximeſtris extractione feliciter ſublatae ſunt, remanente per biduum hujus puerperae mentis alienatione. Confer. Caput XXV.

151. Gre—e (A. I.) partus naturalis die 14 Maji 1797. Obſt. M — e.

152. Grib—ff (N. S.) die 13 Iunii 1805 partus naturalis lentus naturae viribus abſolutus. Obſt. B — n. Remanſit dyſuria poſt duas ſeptimanas, quae poſtea penitus ſublata eſt.

153. Grig—w die 27 Ianuar. 1802. partus naturalis. Placentae remanſio vero in utero, apud hanc parturientem fuit habitualis, quare arte ſecundinae ſolvi debuerunt. Confer. Caput LVII.

154. *Ejuſdem* partus die 22 Iulii 1803. Placentae remanſio habitualis tertia vice, ſecundinarum ſolutionem artificialem neceſſariam reddidit. Puerperium infauſtum. Obſt. A — s.

155. Gru—zky (E. A.) die 6 Ianuar. 1798, partus naturalis. Dolores poſt partum ultra ſex dies durarunt. Obſt. K—ck.

156. Gub—w. (A. I.) die 30 Iunii 1801, partus unico pede infantis praevio, feliciter terminatus, tanquam partus agrippinus imperfectus. Obſt. S—p—l. Conf. Caput LXIII.

157. *Ejuſdem* partus naturalis die 21 Octobr. 1802. Obſt. S — nn.

158. Gur—w die 18 Septembr. 1803, partus naturae viribus abſolutus.

159. Guſ—kow die 6 Iunii 1798. Verſio, ob nates infantis oblique in aperturam pelvis ſuperiorem intrantes, felici ſucceſſu inſtituta. Obſt. M—f. Conf. Caput LXXXIX.

160. Hag—nn die 3 Dec. 1798. partus naturalis lentus primiparae. Obft. Z — s.

161. He—n die 3 Febr. 1795 partus facilis in parturiente, quae in ipfa graviditate tabe pulmonali laboravit. Progreffu temporis phtyfi extincta eft.

162. Hen—ius die 28 Decemb. 1805. partus praematurus, ob febrim continuam. Placenta ab hora vefpertina XI inde, ad quintam matutinam ufque alterius diei, remanfit. Eadem extracta, puerpera convaluit. Obft. B—n.

163. Hef—g die 19 Maji 1797. Convulfiones epilepticae ftatim poft partum, ex alimentis crudis affumptis, ortae, et emetico exhibito fublatae. confer. Caput XXX. Obft. B—n.

164. Hü—e die 6 Iul. 1798. partus lentus, primiparae 36 annorum, naturae viribus abfolutus. Obft. M — f.

165. Hül—g die 26 Iulii 1798. partus gemellorum, quorum alter natibus praeviis, verfione feliciter eductus eft. Obft. R—ch. Confer. Caput XC.

166. Hirf—d (N. V.) die 23 Octor. 1796, partus praematurus, pedibus praeviis: Infans feptimeftris mortuus et putridus erat.

167. *Ejusdem* partus naturalis die 18 Septembr. 1798. Obst. S—nn.

168. *Ejusdem* partus die 7 Martii 1800. Absoluto jam partu ingens uteri haemorrhagia subsecuta est. Progressu temporis per integrum fere annum phtysi pulmonali laboravit, quo morbo etiam confecta est.

169. Ho—coff (M. F.) die 27 Febr. 1805 primum partum naturalem edidit. Obst. S—nn.

170. *Ejusdem* partus die 22 Novembr. 1806.

171. *Ejusdem* partus naturalis die 4 Dec. 1807.

172. *Ejusdem* partus die 24 Octobr. 1809.

173. Ja—w—ll die 16 Decembr. 1801, partus naturalis lentus primiparae. In puerperio aegre decubuit febri biliosa. Obst. M—z.

174. *Ejusdem* die 21 Nov. 1807 partus naturalis.

175. Jef—y (Com. A. F.) die 29 Sept. 1806 partus naturalis. Obst. B—n.

176. *Ejusdem* partus die 29 Febr. 1808.

177. Jel—in partus lentus, cum urinae retentione, forcipis applicationem necessariam reddidit die 3 Mart. 1800. Infans vivus. Obst. Ch—y.

178. Jer—off in domo Comitis, placenta post partum in utero relicta a me soluta est.

179. Jer—aeff die XI Mart. 1800 fecundinae a me arte folutae funt.

180. Jev—off die 9 Nov. 1806 partus lentus primiparae. Obft. M — f.

181. Jol—ff (C. P.) primum partum lentum edidit die 9 Januar 1799. Obft. M — f.

182. *Ejufdem* partus die 8 Dec. 1799. Obft. S — n.

183. *Ejufdem* partus die 10 Decembr. 1800.

184. *Ejufdem* partus die 14 Decembr. 1802.

185. *Ejufdem* partus die 5 Januar. 1804.

186. *Ejufdem* partus die 3 Februar 1805: haemorrhagia uteri infignis poft partum facta eft.

187. *Ejufdem* partus die 4 Maji 1806.

188. Jsj—off (A. J.) die 30 Julii 1795. Unus dies cum dimidio ab illo tempore inde elapfus erat, quo partus initium coepit. Forcipe applicata, infantem eduxi vivum et magnum. Obft. B — tt. Confer. Caput. CI.

189. J — t — ff (P. V.): mola carnofa ope vectis a me ex utero educta, die 1 Jul. 1808. Confer. Caput. X.

190. Jv—ff (W. S.) die 15 Mart. 1800, partus naturalis. Obft. M — z.

191. Iv—ff die 11 Maji 1797: placenta in parturiente multipara et obesa relicta, arte a me soluta est.

192. Iv—ff (Filia H—ff) die 21 Januar 1810 partus praeternaturalis, pedibus praeviis. Obst. B — n.

193. Iv—sch—ff (W. A.) partus lentus primiparae, die 18 Aug. 1800. Obst. M — f.

194. *Ejusdem* partus die 17 Mart. 1805. Obst. B—n.

195. *Ejusdem* partus die 29 Iul. 1808. Obst. B — n.

196. Kab—n (N. M.) die 9 Iul. 1809, partus naturalis lentus, viribus naturae absolutus. Obst. S — nn.

197. Kal—ff die 4 Mart 1797. Parturiens, gangraena ante aditum meum affecta, in qua brachium per tres dies jam lividum praevium fuerat. Versione infans extractus est. Confer. Caput LXXII.

198. Kam—y (A. N.) die 1 Octobr. 1809 partus naturalis. Obst. G — r.

199. Kar—in (W. A.) die 14 Nov. 1796. Ob partum lentum, forceps applicata est et eadem infans eductus vivus. Obst. H—r.

200. *Ejusdem* partus naturalis die 5 Nov. 1797.

201. *Ejusdem* partus die 13 Dec. 1798.

202. Kar—m—n (C. A.) primus partus lentus, die 29 Oct. 1804. Obſt. B — n.

203. *Ejuſdem* partus die 22 Sept. 1806.

204. *Ejuſdem* partus die 21 Oct. 1807.

205. Kar—u—ff die 23 Mart. 1806. Partus naturalis et lentus primiparae. In puerperio febri laboravit nervoſa. Convaluit. Obſt. M — z.

206. Kar—z—n (A. W.) die 29 Sept. 1807. Partus naturalis.

207. Kar—j—ff die 17 Febr. 1806. Parturiens 35 annorum, quae primum partum edidit naturalem, ſed lentum. Placenta, poſt partum diu in utero relicta, ſecundinarum artificialem ſolutionem neceſſariam reddidit. Obſt. B — n.

208. Kaſt—ky die 4 Novembr. 1792. Partus naturalis. In ſtadio puerperii abſceſſu mammarum laboravit.

209. Kay—r die 3 Aug. 1796. Ob placentam praeviam in ore uteri, verſione partus accelerari debuit. Infans mortuus. Parturiens aegre decubuit, ſed tandem convaluit. Obſt. M —f.

210. Kiſſ—ff die 27 Iul. 1797. Placenta in utero relicta arte ſolvi debuit.

211. Kiſſ—y (E. K.) die 24 Ianuar 1800. Partus natibus praeviis abſolutus eſt. Parturiens enim per contagium febri nervoſa affecta fuerat, et partus inſecutus eſt praematurus. Obſt. B — n.

212. Kir—ſky (N. V.) Partus naturalis primiparae die 15 Apris. 1806. Obſt. S — nn.

213. *Ejuſdem* partus die 23 Febr. 1807.

214. *Ejuſdem* partus die 14 Iunii 1809.

215. *Ejuſdem* partus die 24 Maji 1810.

216. Kir—ſky die 2 Maji 1800. Partus foeminae nobilis, quae in itinere primis ad partum doloribus laborare coepit. Partus abſolutus naturalis Obſt. H — r.

217. Kol— woff (C. A.) die 5 Dec. 1801. Partus naturalis.

218. *Ejuſdem* partus die 17 April 1808. Obſt. H—r

219. *Ejuſdem* partus die 17 Octobr. 1809. Obſt. A—s.

220. Kol—kin (A. L.) die 30 Iunii 1798. Partus primiparae lentus. Obſt. M — r.

221. Koſ—off (uxor L. A.) die 12 Iunii 1793. Partus fuit naturalis, ſed, ob refrigerium admiſſum, febri laboravit cum peripneumonia. Convaluit. Obſt. R — t.

222. Kor—koff (W. N.) die 13 Maji 1802. Partus lentus foeminae pufillae atque obefae. Obft. M — f.

223. *Ejufdem* partus die 15 Sept. 1803.

224. *Ejufdem* partus die 14 Dec. 1805. Obft. A — s.

225. Kof—fky die 1 Dec. 1801. Partus, natibus praeviis, naturae viribus abfolutus.

226. Kr—ff die 7 Iunii 1805. Placenta in orificio uteri praevia, nono graviditatis menfe incipiente. Verfione inftituta, mater cum infante viva manfit. Confer. Caput xcı.

227. Kro—koy (A. D.) die 15 Sept. 1804. Partus naturalis. Obft. M — e.

228. *Ejufdem* partus die 13 Mart. 1806.

229. Kro—koy paracenthefis vaginae inftituta. Confer. Caput xxııı. die 15 Sept. 1804.

230. Kru—ow partus praematurus habitualis, die 6 April. 1810. Obft. K — r.

231. Ku—e die 7 Ianuar. 1804. Partus naturalis. Obft. B — n.

232. Kud—off die 14 Martii 1801. Partus naturalis Obft. M — f.

233. *Ejufdem* partus die 29 Ianuar. 1803.

234. Kur—n (in domo Princ.) Parturiens partum praematurum feximeftrem mortuum edi-

dit. In puerperio aegre decubuit. Tandem convaluit.

235. K—t—ff (P. P.) die 12 Iunii 1806 partum edidit naturalem. Dolores poſt partum per octo dies puerperam excruciabant. Tandem convaluit. Obſt. B—n.

236. *Ejuſdem* die 17 Novembr. 1807 partus naturalis. Poſt placentae excluſionem haemorrhagia uteri cum animi deliquio facta eſt. Doloribus poſt partum nunc etiam quam maxime vexabatur, qui omnia remedia efficaciſſima externa et interna reſpuebant. Tandem convaluit.

237. Kuſſ—w die 13 Dec. 1806 partus gemellorum, quorum alter naturae viribus excretus, alter verſione eductus eſt vivus. Puerperium fauſtum.

238. Kutu—ow die 31 Decembr. 1806 partus gemellorum. Infans primogenitus verſione eductus eſt vivus. Alter naturae viribus excluſus. Puerperium fauſtum. Obſt. K—r.

239. Lac—nn, die 19 Febr. 1797, partus naturalis. Lactis ſecretio turbata. Hinc febris per aliquot dies, quae tandem ceſſavit.

240. Lad—ky (A. S.) die 11 Martii 1801. Nates in introitum pelvis facile intrarunt, in exitu autem ejus diu moram egerunt. Nihilominus tamen iifdem praeviis, partus abfolutus eft. Obft. F—z—n.

241. *Ejufdem* partus naturalis filiae, quae adhuc in vivis, die 2 Mart. 1802. Obft. S — nn.

242. *Ejufdem* partus die 27 Ianuar. 1803.

243. Lad—ky (N. F.) die 23 Ianuar. 1802. Haec prima vice gravida fuit, et quamquam nates praeviae effent, tamen ob teneram corporis compagem, et liquorem amnii jam diu effufum, verfionem inftituere nolui et partum naturae viribus commifi. Obft. M — e.

244. ——— (in domo A. F.) Placenta in utero poft partum relicta, a me folvi debuit die 12 Ianuar. 1798.

245. ——— (W. A.) die 30 Dec. 1809. Mola racemofa naturae viribus excreta eft.

246. Ladv—e die 2 Ianuar. 1802 partus naturalis. Obft. M — e.

247. L—g—f die 2 April 1807 partus naturalis infantis monftrofi. Obft. G — r.

248. Lap—n (D. N.) die 3 Decembr. 1803, partus naturalis. Obſt. M — z.

249. *Ejuſdem* partus die 2 Ianuar. 1804.

250. *Ejuſdem* partus die 22 Ianuar. 1805.

251. Lap—off die 11 Aug. 1796. Partus lentus primiparae obeſae forcipis applicationem neceſſariam reddidit. Infans vivus eductus.

252. Lar—noff die 3 Maji 1809, partus lentus in foemina debili. Convaluit. Obſt. S—n.

253. Laſ—in die 20 Iulii 1800: ob paragomphoſin capitis forcipem applicavi. Infans eductus eſt mortuus, qui putredinis ſigna manifeſta obtulit.

254. Lau—in die 7 Aug. 1797. Partus erat naturalis. In ſtatu puerperii urinae retentio facta eſt, quae uſum catheteris neceſſarium reddidit. Convaluit.

255. Lav—ff (A. I.)die 6 Mart. 1805, partus naturalis. Obſt. M—z. in puerperio laboravit febri intermittente. —

256. Leb—ff die 12 Octobr. 1796. Brachium infantis, una cum funiculo umbilicali frigido, praevium. Mater, verſione infantis inſtituta, ſervata eſt.

257. Lev—ff (A. N.) die 30 Maji 1798. Partus feliciter naturae viribus abſolutus eſt. In ultimo vero graviditatis menſe haemorrhagia uteri pluries vexabatur per aliquot dies, quae modo ceſſavit, modo rediit. Obſt. M — z.

258. *Ejuſdem* partus naturalis die 17 Iunii 1804.

259. *Ejuſdem* partus die 18 Sept. 1807. Ob ſitum infantis tranſverſalem ille verſione a me eductus eſt vivus. In graviditate febrim acutam, per aliquot ſeptimanas durantem, feliciter ſuperaverat haec parturiens.

260. Lev—ff (N. D.) die 28 Aug. 1797 partum edidit. Placentam arte ſolvere obſtrictus fui. Obſt. B — n.

261. *Ejuſdem* partus die 16 Octobr. 1798.

262. — In eadem domo mulier quaedam, die 9 Novembr. 1798, partum edidit praematurum. Secundinae per 7 dies abſque noxa matris in utero relictae, et tandem ſponte naturae viribus excretae ſunt. Confer. Caput XLVII.

263. Lev—ff (P. A.) die 19 Maji 1797 partum edidit naturalem. Tuſſis vero, qua in

graviditate per longum tempus vexata erat, in veram phtyſin tranſiit.

264. Lev—ſ—n (C. N.) die 3 Aug. 1807 partum praematurum octavo menſe edidit, ex terrore. In puerperio aegre decubuit.

265. *Ejuſdem* partus naturalis die 5 Octobr. 1808.

266. *Ejuſdem* partus naturalis die 2 Decembr. 1809.

267. Lich—in, (N. P.) die 29 Sept. 1809. In domo hac, mulier quaedam polypum uteri habuit ſtupendae magnitudinis, quem ligatura ſeparavi. Aegrota convaluit. Confer. Caput XVI.

268. Lich—ſſ (N. P.) Foemina haec nobilis per decem annos nullum partum ediderat. Nunc vero filiam peperit partu lento et diutius protracto, die 24 Oct. 1802. Obſt. S — n.

269. Lich—ſſ (P. I.) die VI Septembr. 1804 partum edidit naturalem.

270. Lil—ld (filia M-z-ſſ) die 28 Iulii 1804, partus lentus, ſed naturalis. In puerperio aegre decubuit ob febrim continuam.

271. Lin—e (A. I.) die III Iul. 1793, partus naturalis. Dolores poſt partum diu excruciabant aegrotam. Convaluit. Obſt. M—f.

272. Luſ—off (uxor mercatoris) die 17 Iunii 1797: poſt partum editum haemorrhagia uteri ingens ſubſequuta eſt. Puerpera febri nervoſa laboravit et tandem convaluit. Obſt. S — n.

273. Luſ—in (C. V.) die 6 Februar 1805, partus naturalis in foemina debili. In puerperio febri laboravit anomala nervoſae indolis. Tandem convaluit. Hernia laboravit umbilicali inſigni, quae inter partus nixus retineri debuit manu. Obſt. B — n.

274. Lw—ff (Pr. A. A.) die 2 Decembr. 1805 primum partum edidit, qui 17 horarum ſpatio naturae viribus terminatus eſt. Obſt. B — n.

275. *Ejuſdem* partus die 26 Febr. 1807.

276. *Ejuſdem* partus die 22 Febr. 1808.

277. *Ejuſdem* partus die 20 April. 1809.

278. Lw—ff (Conſanguinea (C. P. L.) die XI Martii 1805 primum partum edidit difficilem, ſed naturalem. In puerperio aegre decubuit febri. Obſt. M — z.

279. Mak—ff die 25 Dec. 1808. Partus naturae viribus abſolutus, ingenti haemorrhagia uteri ſtipatus in foemina, quae habi-

tus corporis fuit obesi. In puerperio febri laboravit tertiana.

280. Mal—ff (A. S.) die 21 Ianuar. 1806 partum edidit naturalem ac facilem. Obst. S—nn.

281. *Ejusdem* partus die 29 Iul. 1807 naturalis ac facilis.

282. *Ejusdem* partus die XI Iul. 1808. Liquor amnii ex disruptis sponte velamentis ovi effluxit hora nona matutina. Dolores ad partum incoeperunt vesperi hora IX, et tandem peperit feliciter hora media nocturna.

283. *Ejusdem* partus die 5 Novembr. 1809, qui inter omnes fuit difficilior, non tantum parturienti, sed praecipue puerperae. Vocatus jam fui ad illam media nocte inter 4 et 5 diem Novembris, ob liquoris amnii spontaneum effluxum. Caput praevium et orificium quodammodo aperiri coepit. Verum enim vero dolores ad partum admodum rari, ut parturiens in intervallis liberis somno indulgere posset. Hora decima matutina die 5 Novembris frequentiores facti sunt, et nixibus tandem validioribus editis, peperit hora meridiana, naturae viribus, filiam. Placenta itidem sponte, nec minimo artis

adjumento, poſt 5 jam minutarum ſpatium, integra excreta eſt. Parturiens, maritus, adſtantes et agnati; neque me ipſo excepto, omnes fuerunt de fauſtiſſimo partus ſucceſſu laeti, et puerpera lecto ac quieti commiſſa eſt hora prima pomeridiana audita. Non ante bihorium poſt partum elapſum, dereliqui puerperam, optime valentem et hilarem. At enim vero hora quarta pomeridiana ex inopinato exorta eſt haemorrhagia uteri inſignis, cum doloribus in infimo ventre alternantibus et ſyncope. Status hic aegrotae, et praecipue animi deliquium, per 5 horas continuo duravit, et tandem mentis compos facta eſt, veſperi hora nona audita. Applicatum fuit acetum cum aqua abdomini, interne exhibita ſunt tinctura cinnamomi, naphta vitrioli, elixir acidum Halleri, vinum rhenanum et tandem opium, repetitis et alternis vicibus. Puerpera maxime pallida et debilis, prima nocte vix ac ne vix quidem dormivit, et tertio die, quo lactis ſecretio locum habere debuiſſet, colloquio inepto, quam maxime animo

commota eſt. Ab illo ipſo temporis momento inde, febris nervoſa facta, lactis metaſtaſis ad cerebrum, cum delirio, aurium ſuſurro, oculis alienatis et fulgidis. Hoc ipſo morbo ſummo vitae diſcrimini oblata eſt aegrota, quo per tres hebdomades vexabatur. Nihilominus tamen convaluit et ad hunc uſque diem integra fruitur valetudine. Cauſa haemorrhagiae uteri, procul dubio, fuerat atonia uteri, febris vero et morbi ſecundarii, animi commotio, e qua plerumque tot tragoediae in puerperio aguntur.

284. Ma—ky (C. V.) die 25 Maji 1803, mola veſicularis et racemoſa vetulae, ſponte a natura ejecta eſt. Confer. Caput XI.

285. Mam—ff (A. F.) die 12 Iul. 1802, partus naturalis. Obſt. R—ch.

286. *Ejuſdem* partus die 25 Octobr. 1804. In puerperio febri laboravit continua, per XIV dies. Convaluit tandem.

287. Mam—ff (M. I.) die XXX Sept. 1803. Partus primiparae facilis, quae ſtaturam corporis habuit proceram atque gracilem.

Ob refrigerium admiffum, abfceffus lacteus in mammis fubortus eft.

287. Mam—ff (P. N.) die 30 Dec. 1804. Partus naturalis. Placentae remanfio in utero habitualis fecundinarum folutionem neceffariam reddidit. Confer. Caput LVIII.

288. Man—r—off (V. P.) die 18 April 1805. Partus primiparae, quae conftitutionem corporis habuit debilem. In puerperio febri laboravitcum affectibus fpafmodicis. Convaluit. Obft. B — n.

289. Mar—s (M. F.) die 28 April. 1798, partus naturalis. Placentae remanfio funefta. Confer. Caput XLIX.

290. Maf—low die 9 Decembr. 1801 partum praematurum edidit infantis mortui feximeftris.

291. Matr—ff die 9 Martii 1802, partus lentus foeminae XXXII annorum, quae habitus erat obefi. Partus tamen fponte naturae viribus abfolutus eft.

292. May—tt (E. K.) die 7 Iunii 1797, partus naturalis primiparae. Obft. B — n.

293. *Ejufdem* partus die 29 Iul. 1798 facilis. Inter placentae folutionem ingens uteri haemorrhagia fupervenit, quae artificialem

ſecundinarum ſolutionem neceſſariam reddidit. — Convaluit.

294. Me—x die XXIII Februar. 1797. In foemina multipara, ob ſitum infantis tranſverſalem, verſionem inſtituere debui. Infans vivus, et mater convaluit. Obſt. M—z.

295. Mel—rz—ky die 21 Ianuar 1806, partus naturalis. Obſt. Str—r.

296. Mer—in die 21 Ianuar 1799, partus naturalis. In puerperio febri laboravit nervoſa per XVIII dies et tandem convaluit.

297. Mer—oy die 16 April 1802, partus naturalis. Obſt. R — ſh.

298. Meſ—doff die 18 Iul. 1797, prolapſus uteri gravidi. Hiſtoria partus deſcripta invenitur Capite VI.

299. Meſ—ky (Pr. S. S.) die 23 Sept. 1797. Partus primiparae lentus, ſed naturalis. Obſt. M — f.

300. *Ejuſdem* partus naturalis die 6 Decembr. 1798.

301. *Ejuſdem* partus die 25 Februar. 1804. Convulſiones ſtatim poſt partum, in hac puerpera debili ac valetudinaria, ex uteri haemorrhagia ortae ſunt. In puerperio per tres hebdomades febri nervoſa gra-

viter decubuit, et non fine maxima cura in vivis fervari potuit. Confer. Caput XXXI.

302. *Ejufdem* partus naturalis die 16 April. 1809. Puerpera haec quondam femper debilis, poftquam ipfa in puerperio hoc infantem lactaverat, convaluit et a diarrhoea, quondam habituali, penitus reftituta eft.

303. Mef—ky (Pr. N. A.) partus naturalis primiparae, die 26 Nov. 1805. Obft. S—n.

304. *Ejufdem* partus naturalis cum procidentia completa uteri poft partum, die 7 Martii 1807. Confer. Caput VIII.

305. *Ejufdem* partus die 22 April. 1810. Quamquam iterum metuerem prolapfum poft partum, ille tamen non fubfecutus eft. Puerpera tamen, dum haec fcribebam, adhuc febri vexatur nervofa. —

306. Mef—ky die 26 Augufti 1800, (in domo Principis I. S.) parturienti cuidam opem ferre debui, quae partu vexabatur lento, attamen naturali. Obft. M—f.

307. Mi—l in uxore mercatoris galli, quae ftaturam corporis habuit pufillam, et in qua ob pelvis anguftiam ante biennium perforatio capitis ab alio obftetricatore inftituta fuerat, die 15 Ianuar. 1797

propter paragomphofin capitis per xx horas durantem, forcipem applicavi et non fine magna difficultate, infantem eduxi mortuum, qui putredinis manifeftae figna ftatim poft partum obtulit. Puerpera convaluit et poftea exteras oras petiit.

308. Mil—t die 8 Iunii 1803 partum edidit naturalem. Ob animi commotionem vero in puerperio, lactis fecretio turbata, et eo ipfo febris nervofa exorta eft, qua aegre decubuit. Convaluit. Obft. M—f.

309. Min—i die 3 Nov. 1801, caput cum funiculo umbilicali praevio, naturae viribus feliciter abfolutus eft. Confer Caput XXXIII.

310. *Ejufdem* partus die XIII Ianuar. 1803 naturalis. Obft. M — f.

311. *Ejufdem* partus naturalis die 21 April. 1804. Obft. M — f.

312. Mil—tfch (E. N.) die XI Augufti 1799, partus primiparae obefae, in qua ob capitis incuneationem per XXV horas durantem, forcipe infantem extraxi vivum. Obft. M — z.

313. *Ejufdem* partus die XV Nov. 1802 naturalis, fed lentus.

314. *Ejusdem* partus die 12 Maji 1804.

315. *Ejusdem* die 2 Novembr. 1807, partus facilis et puerperium faustum. Singulare vero mihi se obtulit phaenomenon illud in hac parturiente observandi, quod ultimam menstruationem ante XI menses habuerat. Notum est, foeminas obesas menstruationem habere parciorem et saepissime irregularem. Quare haec nostra etiam menstrua credidit esse suppressa, et ideo remedia varia ob amenorrhoeam sumpsit. Nihilominus tamen sensim sensimque signa graviditatis manifesta se obtulerunt, ideoque etiam usus remediorum sublatus. Patet adeoque hac observatione practica, catamoenia posse per duos menses supprimi, et durante suppressione non inpossibilem esse conceptionem.

316. *Ejusdem* partus die 11 Maji 1809 naturalis. Menstruatio ante et post partum hunc iterum regularis facta est, quamquam semper parciori quantitate observarentur catamoenia.

317. Mit—noff die 3 Ianuar. 1798, partus difficilis ob brachium infantis praevium, quod versionem necessariam reddidit.

318. Mod—a (Com.) partus lentus primiparae, viribus naturae abfolutus die 12 Aug. 1800. Obft. St—r.

319. Molt—noff (E. F.) die 3 Dec. 1802, partus primiparae obefae lentus, fed naturalis. Obft. M—z.

320. Molt—noff (M. St.) die 9 Decembr. 1808, fitus infantis transverfalis. Verfione infantem eduxi vivum, qui adhuc in vivis eft. Obft. T—ky.

321. Mü—r die 2 Iunii 1796, partus primiparae lentus, quae inter quemvis dolorem ad partum vomituritione vexabatur. Filia, forcipe a me extracta, adhuc in vivis eft. Obft. M — f.

322. *Ejufdem* partus die 15 Augufti 1797 naturalis.

323. *Ejufdem* partus naturalis die XVI Nov. 1798. Placenta relicta, ob ingentem uteri haemorrhagiam, arte a me folvi debuit. Ob animi commotionem in puerperio febris exorta eft nervofa, cum phrenitide lactea et convulfionibus, quibus poft XIII dies e vivis erepta eft puerpera.

324. Muk—z die 23 Iul. 1798. Partus lentus, ob capitis fitum obliquum, qui tamen fponte naturae viribus abfolutus eft.

325. Muc—ſſ. (A. A.) partus naturalis die 3 Iul. 1809. Obſt. B — n.

326. Muc—ſſ (A. S.) die 22 Iunii 1796, partus naturalis. Placentae remanſio, utero adhuc adhaerentis, quare ob ſupervenientem haemorrhagiam cum animi deliquio, artificialis ſecundinarum ſolutio fauſtiſſimo ſucceſſu inſtituta eſt. Confer. Caput LIII.

327. *Ejuſdem* partus die 25 Ianuar. 1798. Obſt. H — r.

328. *Ejuſdem* partus naturalis die 15 Ianuar. 1800.

329. Muc—ſſ (C. A.) die 14 Ianuar. 1804, partus naturalis. Puerperium fauſtum. Obſt. S — nn.

330. *Ejuſdem* partus naturalis menſe Novembr. 1805.

331. Muc—ſſ (M. A.) menſ. Iulio 1808, partus naturalis. In puerperio aegre decubuit febri nervoſa, cum lactis ſecretione turbata. Convaluit. Obſt. S — nn.

332. *Ejuſdem* partus die 19 Martii 1809 naturalis. In puerperio vero ex terrore nono jam die apoplexia orta eſt, qua e vivis erepta fuit, quamquam remedia efficaciſſima, uti veſicatoria et ipſa venaeſectio in pede, a me adhibita eſſent.

333\. Muc—ff (W. D.) partus naturalis die 15 Iul. 1809. Placenta ſponte ſoluta. Nihilominus tamen poſtea ingens ſupervenit uteri haemorrhagia, cum ſyncope, quae alternis vicibus per bihorium ceſſavit et rediit. Puerperium fauſtum, quamquam maxime debilis eſſet puerpera.

334\. Muc—ff (W. N.) die 25 Maji 1798, partus primiparae obeſae xxx annorum, naturalis, ſed lentus. Infans in lucem editus eſt mortuus, probabiliter a funiculi umbilicalis inter partum compreſſionem. In puerperio febri continua aegre decubuit. Convaluit. Obſt. S — nn.

335\. *Ejuſdem* partus naturalis die 19 Iul. 1799. Infans vivus. In hoc etiam puerperio febri continua leviori per 7 dies laboravit.

336\. *Ejuſdem* partus naturalis et facilis, verſus finem menſis Octobris anni 1800. Puerperium fauſtum.

337\. *Ejuſdem* partus naturalis et facilis die 11 Ianuar. 1804.

338\. *Ejuſdem* partus naturalis et facilis die 17 Iuuii 1805.

339\. *Ejuſdem* partus praematurus die 23 Novembr. 1809. Foemina haec in initio noni menſis

gravida, ecclesiam adierat et refrigerium perpessa est. Noctu supervenit febris, cum frigore maximo et pectoris oppressione inflammatoria. Venaesectio in brachio statim instituta est, nec non exhibita sunt remedia antiphlogistica. Versus vesperam sudor factus est beneficus, et aegra summum levamen persentiit, nihilominus tamen hora IX vespertina ejusdem diei semel ac simul absque prodromis aliquibus, vix tribus doloribus et nixibus editis, ex improviso partu praematuro ejecit filiam vivam. Partus tunc mihi videbatur, ac si criseos alicujus vices ageret. At enim vero altero jam die febris continua noviter accensa, cum pectoris oppressione, quae febris per tres hebdomades continuavit et aegrotam manifesto vitae discrimini obtulit. Die III Decembris prima indicia urinae sedimentosae et criticae apparuerunt, quibus progressu temporis sudor beneficus supervenit. Puerpera aegre decumbens tandem convaluit.

340. Mur—toff (D. A.) die 15 April. 1799, partus lentus in foemina primipara XXXIII

annorum, qui forcipis applicationem neceſſariam reddidit. Infans eductus eſt vivus in praeſentia Doctoris G—t. Puerpera convaluit.

341. Mur—toff (N. A) die 17 April. 1806, partus naturalis. Obſt. S — nn. Puerpera nodis lacteis vexabatur, qui abſque ſuppuratione reſoluti ſunt.

342. Mur—eff (A. A.) menſe Octobri 1800, partus, quo una cum capite funiculus umbilicalis propendebat, et qui, ob pelvim amplam hujus multiparae, feliciter vivo manente infante terminatus eſt.

343. *Ejuſdem* partus die 22 Martii 1802. Obſt. M—z.

343. *Ejuſdem* partus die 6 Aprilis 1803 naturalis, puerperium fauſtum.

344. Nar—n (C. N.) die 29 Ianuar 1796, partus naturalis, puerperium fauſtum. Obſt. M — z.

345. *Ejuſdem* partus die 21 Decembr. 1796.

346. *Ejuſdem* partus die 30 Iun. 1798.

347. *Ejuſdem* partus gemellorum, quorum alter ſitum habuit naturalem, alter verſione a me eductus eſt. Placenta duplex in utero relicta, arte ſolvi debuit die 22 Mart. 1809.

348. Naf—v—coff die 13 Septembr. 1795, partus, brachio infantis praevio, verfione terminatus.

349. Nec—doff (A. N.) die 12 Iun. 1803, partus naturalis. Obft. B — n.

350. Nel—doff (N. A.) die 2 Oct. 1797, partus naturalis. Obft. B — n.

351. Ner—noft die 15 Sept. 1807. Placenta poft partum diu in utero moram egit, quare fecundinae arte folvi debuerunt.

352. Nik—roff die 7 Maji 1800, partus naturalis Obft. S — n.

353. *Ejufdem* partus facilis die 20 Aug. 1802. Cum autem haec parturiens jam in graviditate phtyfi affecta effet, hinc poft partum ille idemque morbus majora incrementa coepit, et eamdem confumpfit trium menfium fpatio.

354. Nor—w (A. V.) die 23 April. 1805. Partus naturalis et nullis affectibus infolitis ftipatus, quamquam in fine graviditatis pluries haemorrhagia uteri facta effet. —

355. *Ejufdem* die 28 Octobr. 1807 partus naturalis, qui nihil infoliti obtulit, praeter praematurum liquoris amnii effluxum et

partum poſt triduum inſequentem. Velamenta ovi enim ſponte abſque ullo ad partum dolore diſrupta ſunt die 25 Octobris hora veſpertina undecima, quare ſtatim advocatus fui. Nihilominus tamen biduum et ultra (id eſt dies 26 et 27) elapſum eſt, abſque partus indiciis. Tandem, die 29 Octobris hora undecima matutina, primos dolores ad partum percepit parturiens, et peperit hora quinta pomeridiana feliciter. Puerperium itidem fuit fauſtum. Obſt. Kr—r.

356. *Ejuſdem* partus naturalis die 9 Iunii 1809.

357. Nov—ow (E. l.) die 24 Nov. 1800, partus naturalis. Obſt. B — n.

358. *Ejuſdem* partus die 7 Ianuar. 1802.

359. *Ejuſdem* partus die 23 Ianuar. 1803.

360. *Ejuſdem* partus die 7 Octobr. 1804.

361. *Ejuſdem* partus die 24 Aug. 1808.

362. Nov—ow (N. A.) die 19 Iul. 1799.

363. *Ejuſdem* partus die 4 Mart. 1804. Obſt. B—n.

364. *Ejuſdem* partus die 4 Dec. 1806. Obſt. B—n.

365. *Ejuſdem* partus die 16 Mart. 1808. In hoc puerperio febri laboravit intermittente tertiana. Convaluit.

366. Ob—ſky (Pr. P. N.) partus die 26 Maji 1802. Obſt. M — f.

367. Och—coff die 11 Aug. 1807, partus lentus primiparae debilis. Obſt. S—nn.

368. Od—y (in domo Pr.) parturiens quaedam brachium praevium in partu obtulit, quare verſionem inſtitui die 13 Iunii 1797.

369. Ok—coff (A. E.) die 23 Dec. 1805, partus naturalis. In puerperio metaſtaſis lactea facta eſt, et quidem ſingulari exanthemate puſtuloſo ad ſuperficiem cutis, quod diſparuit, poſtquam mammae iterum lacte turgidae factae eſſent.

370. Olſ—w (C. P.) die 18 April. 1798, partus naturalis. In puerperio febri graviter laboravit nervoſa, cum affectionibus convulſivis et ſyncope, per aliquot horas durante. Convaluit. Obſt. B — n.

371. O—w partus clandeſtinus natibus praeviis. Verſione inſtituta infans vivus extractus eſt.

372. Or—ff die 25 Febr. 1798 partus naturalis. Ob placentam in utero relictam et funiculum jam abruptum, in auxilium vocatus ſum. Poſt artificialem ſecundinarum ſolutionem convaluit. Obſt. R —ch.

373. *Ejuſdem* partus die 24 April. 1802. placentae remanſio habitualis facta, extractionem ſecundinarum artificialem neceſſariam reddidit. Confer Caput. LVI.

374. Or—ff (in domo c.) parturiens quaedam primipara partum habuit lentum, qui tamen naturae viribus abſolutus eſt.

375. Oſch—n partus praeternaturalis brachio infantis praevio, qui verſione inſtituta a me terminatus eſt, die 21 Ianuar 1799.

376. Oſ—ky (M. S.) polypi uterini extractio et ligatura feliciter inſtituta. Confer. Caput XV.

377. Ov—in (A. I.) partum naturalem edidit die 29 Dec. 1806. Obſt. B—n.

378. *Ejuſdem* partus die 16 Mart. 1808.

379. Oz—w (P. N.) die 8 Febr. 1802 partus primiparae lentus. Caput in exitu pelvis inprimis diu admodum incuneatum haerebat. Quare forcipem applicavi, et eadem infantem vivum eduxi. Obſt. S—nn.

380. *Ejuſdem* partus naturalis die 19 Febr. 1803.

381. *Ejuſdem* partus die 15 Ianuar. 1805. Obſt. A—s.

382. *Ejuſdem* partus naturalis et facilis die 21 Junii 1806. In puerperio per ſex dies optima

ſanitate fruebatur. At enim vero ira affecta eſt, et exinde agrypnia facta per tres dies, quae deinde ſenſim ſenſimque notabili febri tranſiit in veram maniam. Qua mania per ſeptem hebdomades vexabatur et tandem convaluit.

383. *Ejuſdem* partus die 14 Mart. 1809.

384. Oz—w abortus ſex hebdomadum, quo ovulum abortivum integrum, cum liquore amnii pellucido, et foetu puſillo intus haerente, excretum eſt. Die 22 Oct. 1809.

385. Pag—i placenta poſt partum diu relicta et putrida, arte ſoluta die 17 Iul. 1796. Confer Caput L.

386. Pamf—eff die 3 Dec. 1808. Incuneatio capitis maxima in parturiente 35 annorum. Forcipe infans extractus eſt vivus. Confer. Caput. CIV. Obſt. W—n.

387. Pan—n (E. J.) die 6 Sept. 1799, partus naturalis Obſt. S—nn.

388. *Ejuſdem* partus die 13 Nov. 1801.

389. *Ejuſdem* partus naturalis die 27 Maji 1805.

390. *Ejuſdem* partus die 8 Auguſti 1806.

390. *Ejuſdem* partus praeternaturalis die 2 April. 1808. In initio partus nulla pars praevia inveniebatur. Poſt liquoris amnii

effluxum facies praevia facta eſt. Doloribus ad partum continuatis, ſpontanea evolutione tandem occiput in ore uteri apparuit, et partus lentus facie laterali, naturae viribus abſolutus eſt.

391. Pan—ſew (A. J.) partus gemellorum, quo puer primogenitus natibus praeviis in lúcem editus eſt, alter autem capite praevio. Secundinae, pro ſalvanda matre, arte ſolvi debuerunt die 21 Febr. 1810. Obſt. R—o. Confer. Caput LX.

392. Pen—n die 28 Oct. 1796 ob nates praevias verſio infantis a me inſtituta eſt. Obſt. L—t.

393. Per—ky (W. N.) partus primiparae 3 Iun. 1803. Obſt. B—n.

394. *Ejuſdem* partus die 13 Iul. 1804.

395. *Ejuſdem* partus die 11 Octobr. 1805.

396. *Ejuſdem* partus die 26 Febr. 1809.

397. *Ejuſdem* partus naturalis die 25 April. 1810.

398. Pet—ky (N. N.) die 18 Febr. 1806. Obſt. S—nn. Partus naturalis lentus primiparae.

399. *Ejuſdem* partus die 26 Martii 1808 natibus praeviis. Obſt. A—s.

400. Pie—ky (A. A.) die 22 Maji 1799, ob caput incuneatum forceps applicata fuit et

infans vivus eductus. Puerpera, ob refrigerium, graviter decubuit febri nervosa per XXIV dies, et non fine magna difficultate servari potuit.

401. *Ejusdem* die 27 Iunii 1800 partus agripparum imperfectus, unico pede praevio, primum in perfectum mutatus, et infantis artificiali extractione terminatus. Confer. Caput LXII.

402. *Ejusdem* partus naturalis die 8 Decebris 1801. Puerpera penitus jam restituta, die 1 Ianuarii exiit et frigore hyberno refrigerium perpessa est, quo ipso peripneumonia affecta fuit. Morbum venaesectione adhibita superavit, sed tandem convalescens in fine mensis Ianuarii, media nocte ex improviso orthopnoea affecta est et fatis cessit. An a vomica disrupta?

403. Pin—l die 5 Nov. 1800 partus naturalis. Obst. M—e.

404. Pism—y (C. A.) die 22 Nov. 1802, partus in initio noni mensis praematurus, ex nimia alimentorum dispeptorum ingurgitatione. Eo ipso die exortus est vomitus, diarrhoea, liquoris amnii effluxus et partus. In puerperio aegre decubuit et vix ac

ne vix quidem fervari potuit. Convaluit tandem. Obft. M — f.

405. Ple—eff (A. J.) die 31 Dec. 1804, partus naturalis foeminae, quam maxime obefae. Obft. B — n.

406. *Ejufdem* partus die 6 Mart. 1806. Infans, ob funiculi umbilicalis circa collum conftrictionem, inter exitum diu moram egit. Quare neceffe erat, funiculum ante ejus exclufionem forfice abfcindere. Puerperium fauftum.

407. Polae—off partus naturalis die 30 Ianuar. 1798.

408. Palyb—n, partus lentus, ob fitum uteri obliquum. Situ debito parturienti conciliato, partus naturae viribus abfolutus eft die 12 Dec. 1798.

409. Polyv—ff die 17 Ianuar 1802, partus naturalis. Obft. K—ck.

410. *Ejufdem* partus naturalis die 1 Dec. 1803. Obft. T — ky.

411. Polub—eff die 25 Iunii 1806. Ob convulfiones epilepticas forcipe extraxi infantem vivum, qui etiam vivus manfit. Obft. T—y. Confer. Caput CVI.

412. Po—w (filia Profv—n) die 7 Nov. 1796: verfio ob fitum infantis tranfverfalem.

413. Po—w (filia Gort—ow) die 23 Nov. 1796. Caput diu incuneatum, naturae viribus tandem exclufum.

414. Pradin (A. J.) die x Mart. 1797. Partus naturalis. Singulare phaenomenon erat, lochia penitus a fecundo poft partum die inde fuiffe fuppreffas, abfque ulla infolita affectione morbofa. Puerpera penitus convaluit.

415. Prik—y (S. J.) die 20 Maji 1808. Partus lentus primiparae juvenis et macilentae. Obft. B—n. In puerperio abfceffu lacteo laboravit, ab animi commotione exorto.

416. Pr—y partus praeternaturalis, ob fitum infantis tranfverfalem. Verfione eduxi infantem vivum die 5 Sept. 1803.

417. Pt—n (N. J.) die 21 Aug. 1805, partus naturalis. Placentae in utero remanfio per XII horas, poft partum editum, abfque ulla noxa pro puerpera. Confer. Caput. XLV.

418. Pu—kin (A. G.) die 26 Maji 1803 partus naturalis. Obft. W—r.

419. *Ejufdem* partus die 14 Dec. 1804.

420. *Ejuſdem* partus die 20 Ianuar. 1806.

421. *Ejuſdem* die 1 April. 1807, partus lentus ob ſitum capitis obliquum, qui tamen naturae viribus abſolutus eſt.

422. Pu—kin (Alex. L.) die 2 Oct. 1808 partus lentus primiparae. Obſt. A—s.

423. ——— (in domo O. V.) placenta, poſt partum in parturiente quadam, arte ſolvi debuit die XI Iul. 1800.

424. Pu—kin (in domo Com. V. P.), partus lentus forcipe abſolutus eſt die 3 Nov. 1796. Obſt. S — nn.

425. Pu—kin (in domo C. A. N.) ob ſitum tranſverſalem infantis, verſio inſtitui debuit, qua infantem vivum eduxi, die XX Iunii 1804.

426. Pu—kin (N. S.) die 25 Ianuar. 1799. Partus naturalis lentus primiparae. Obſt. S—nn.

427. Qu—a (C. P.) die 20 Iunii 1806. Partus naturae viribus abſolutus eſt. Obſt. S—nn.

428. Rac—ff (A. M.) die 1 Ianuar. 1802. Funiculus umbilicalis praevius, cum abdomine infantis. Partus verſione, et infantis vivi extractione, feliciter terminatus eſt. Obſt. St—r. Confer. Caput. XXXVII.

429. Rac—ff (A. P.) die 22 Sept. 1809, partus primiparae praematurus, in fine octavi menfis. Infans vivus manfit et fanus et robuftus evafit. Obft. S — n.

430. Raj—y (N. J.) die 29 Mart. 1798, partus naturalis. Obft. M — f.

431. R—— (M. M.) die 30 Iunii 1802, partus facilis, ftatim poft abfolutum iter.

432. *Ejufdem* partus praematurus infantis mortui die 24 Iunii 1804.

433. Reb—n (C. A.) die 25 April. 1805, partus difficilis primiparae, ob fitum capitis obliquum, naturae viribus abfolutus. Obft. B—n.

434. Rei—l die 26 Maji 1804, partus gemellorum. Alter partu naturali exclufus eft. Alterum, ob funiculum praevium et fitum tranfverfalem, verfione extraxi vivum. Obft. R—ch. Confer. Caput LXXXIV.

434. Rei—d (uxor Ch. d.) die 13 Dec. 1796, partus praematurus infantis mortui et putridi, cujus motum parturiens, per tres hebdomades ante partum, fentire non potuerat. Placenta diu moram egit, et cum haemorrhagia ingens et animi deliquium exorirentur, arte per me folvi debuit.

435. *Ejufdem* partus die 21 Mart. 1798 lentus et diutius protractus. Forcipe infantem eduxi vivum.

436. Rei—d (uxor Pr.) die 17 Auguft. 1804. Haec gravida ab exteris oris noftram urbem adierat. Partus erat facilis et naturalis. Obft. A—s. Eodem die optime valuit. Altero die mane itidem de nullo infolito morbofo affectu conquefta eft. Vefperi adiit me maritus, qui mihi commemoravit, puerperam de dolore in infimo ventre conqueri. Adii iterum aegrotam. Cum alvus effet libera et febris lactea fequente die inftaret, nolui remedia heroica adhibere, adeoque fuafi enema emolliens et unguentum anodynum nec non mixturam exhibui Riverianam. Tertio die (xix Aug.) hora matutina octava audivi, noctem elapfam abfque fomno a parturiente peractam fuiffe, ob horripilationes intercurrentes et febriles motus. Alvum depofuerat pluries et nunc de dolore in infimo ventre minus conquefta eft puerpera. Probabile videbatur, haec omnia a febri lactea incipiente, et a moliminibus pro fecretione lactis, facta effe. Vefperi autem

congeſtiones ad cerebrum ſubſequutae ſunt, ſtupor et deliria blanda, et eadem puerpera, marito, omnibus bonis et mihi etiam flebilis, hora octava veſpertina ex inopinato e vivis erepta eſt. Nullum datur dubium, apoplexiam ex lactis metaſtaſi factam fuiſſe. An ab animi commotione vel terrore? Vix unquam recordor, puerperam quamdam admodum cito fatis ceſſiſſe.

437. Rep—n (Pr.) die 20 Iul. 1806, partus naturalis. Puerperium fauſtum. Obſt. M—e.

438. *Ejuſdem* partus lentus die 14 Nov. 1809 ob ſitum capitis obliquum, naturae viribus abſolutus.

439. Ret—n (P. P.) die 29 Sept. 1807. partus primiparae, quae ſtaturam corporis habuit proceram, facilis. Obſt B — n.

440. Re—s (E. F.) die 24 Nov. 1805. partus filii mortui, natibus praeviis, naturae viribus abſolutus. Confer. Caput. xcvii. Obſt. M — z.

441. *Ejuſdem* die 29 Iunii 1807 partus filiae, capite praevio naturalis, ſed lentus. Vocatus fui hora ix matutina et integrum diem apud parturientem tranſegi ad ho-

ram usque matutinam primam alterius diei. Obst. A — s.

442. *Ejusdem* partus filiae, naturalis et facilis, cito absolutus die 14 Nov. 1809. Obst. A—s.

443. Rib—coff placenta praevia in orificio uteri. Ob ingentem uteri haemorrhagiam versione partum accelerare, et infantem mortuum extrahere, obstrictus fui, die 1 Iunii 1800.

443. Ric—r (E. I.) die 19 April. 1810. partus naturalis et facilis primiparae. In puerperio febri laboravit continua, deinde intermittente, et tandem abscessibus lacteis in mamma sinistra. Obst. B — r.

444. Ries—f die 24 Dec. 1797. partus naturalis primiparae. Obst. R — ch.

445. *Ejusdem* partus die 6 Ianuar. 1798.

446. Ritt—r die 3 Sept. 1809. Polypus uteri eximiae magnitudinis a me per ligaturam feliciter ablatus est. Confer. Caput xv.

447. Röm—r die 21 Febr. 1802. partus naturalis. Obst. M — f.

448. *Ejusdem* partus die 1 Febr. 1803.

449. *Ejusdem* partus die 25 Dec. 1805.

450. Rosch—off die 8 Maji 1800. Versione infans vivus, ob situm transversalem in utero, extractus est. Confer. Caput LXXIV.

451. Rofe—s die 7 Iunii 1803. Partus praematurus infantis mortui in parturiente, quae hydrope anafarca et afcitide in graviditate laboraverat. A morbo viribus exhaufta puerpera, in vivis fervavi non potuit, fed decimo poft partum die obiit.

452. Ro—t (uxor Ia. I.) die 13 Novembr. 1796 partum facilem edidit filii, qui adhuc in vivis eft. Obft. S — n.

453. Ro—t (M. I.) die 27 Aug. 1797. partus naturalis, fed lentus. Obft. M — z.

454. *Ejufdem* partus die 26 Iul. 1798 puerperium fauftum.

455. *Ejufdem* partus die 20 Ianuar. 1800.

456. R—y (le) die 21 Decembr. 1790. partus naturalis, puerperium fauftum. Obft. B — tt.

457. Rfch—ky die 3 Eebr. 1797. partus difficilis, ob brachium praevium, verfione terminatus.

458. Rt—ff die 22 Maji 1797. brachium infantis praevium et lividum. Infans mortuus verfione extractus eft. Obft. M — r.

459. Rub—in die 4 Aug. 1797 partus gemellorum. Alter naturae viribus exclufus eft. Alter

verfione vivus eductus. Placenta duplex absque difficultate fponte excernebatur.

460. Ruk—n die 13 Dec. 1802 abortum infantis trium circiter menfium perpeffa eft. Placenta in utero moram egit et cum ingente haemorrhagia tandem excernebatur.

461. Ru—tfch (C. I.) die 18 Dec. 1807, partus primiparae pufillae lentus. Obft. M—z.

462. *Ejufdem* partus, quo funiculus eodem tempore cum capite infantis praevius fuit die 26 Octobr. 1808. Confer. Caput xxxv.

463. Sab—ff (W. A.) die 21 Dec. 1796. Partus lentus filiae in primipara diutius protractus, qui tandem naturae viribus abfolutus eft. Obft. B—n.

464. *Ejufdem* die 13 Iul. 1798. Filius in lucem editus eft partu naturali.

465. *Ejufdem* partus die 28 Ianuar 1800.

466. *Ejufdem* partus die 2 Ianuar 1804. Caput per xiv horas in fumitate pelvis fuperiori verfabatur, et unico nixu fortiori mediam pelvis cavitatem et exitum ejus permeavit.

467. Saev—y (E. N.) die 18 Decembr 1797. Partus naturalis lentus, naturae viribus ab-

solutus. Puerpera abscessu mammarum laboravit. Obst. R — t.

468. Sag—ky (N. P.) die 31 Maj. 1804, partus naturalis. In puerperio febri laboravit nervosa, per tres hebdomades, et non sine magna difficultate in vivis servari potuit.

469. *Ejusdem* partus naturalis die 23 Mart. 1808.

470. Sas—ky die 20 Febr. 1807, partus praematurus infantis seximestris mortui, et putredine jam consumpti.

471. Sav—eff die 3 Octobr. 1790. Parturiens haec in graviditate jam phtysi pulmonali laboravit, et post partum facile editum, eodem morbo, tertia septimana, consumpta est.

472. Sav—n (M. S.) die 3 Septembr. 1803, partus naturalis. Obst. B — n.

473. *Ejusdem* partus die 12 Febr. 1805.

474. *Ejusdem* partus die 16 Octobr. 1806. in puerperio febri laboravit continua, per XIV dies.

474. *Ejusdem* partus die 22 Maj. 1808.

475. *Ejusdem* abortus quatuor mensium die 3 Iul. 1809.

476. *Ejusdem* partus naturalis die 9 Iunii 1810. In puerperio optima fruebatur valetudine; at enim vero die XI Iunii versus vesperam, perterrefacta est infantibus, et cum nixum validiorem post enematis applicationem ederet, ex inopinato uterus prolapsus est. Vocatus statim fui et eundem iterum reposui. Situ horizontali, quiete et applicatione spiritus vini gallici ad abdomen nudum, ope linteaminis madidi, uterus debito suo loco retentus est, et aegra optime convaluit. Obst. B—n.

477. Scheg—w die 16 Dec. 1809. paracenthesis vaginae in hydrope ascitide instituta. Confer. Caput. XXIII. pag. 142.

478. Schel—in (S. N.) die 24 Ianuar. 1804. partus naturalis in primipara. Obst. B—n.

479. *Ejusdem* partus die 8 Maj. 1805.

480. *Ejusdem* partus naturalis die 20 Maji 1807.

481. *Ejusdem* partus die 29 Mart. 1808.

482. Scher—zoff die 21 April. 1802. brachium infantis praevium. Versione infantem vivum extraxi. Confer. Cap. LXX.

483. Schifch—ff placenta in orificio uteri praevia. Ob ingentem uteri haemorrhagiam partus verfione accelerari debuit, die 15 Mart. 1807. Confer. Caput. XLII.

484. Sem—ff die 5 Octobr. 1799. placenta poft partum relicta arte folvi debuit. Obft. H — n.

485. Sem—ff (P. I.) die 26 Nov. 1804. primiparae partus facilis. Obft. B — n.

486. *Ejufdem* die 4 Ianuar. 1806 partus naturalis.

487. *Ejufdem* partus facilis die 10 Mart. 1807. In puerperio abfceffu lacteo laboravit.

488. Sen—n partus gemellorum primiparae, verfione feliciter terminatus die 30 Ianuar. 1798. Confer. Caput. LXXXII.

489. Skar—n (N. G.) die 3 April. 1806. partus lentus primiparae. Obft. M — e.

490. *Ejufdem* partus naturalis die 29 Dec. 1806.

491. *Ejufdem* partus 13 Mart. 1810. Obft. B — n.

492. Skrep—off die 22 Aug. 1792. partus facilis parturientis, quae in graviditate phtyfi laboravit pulmonali, qua confumpta eft tertia poft partum feptimana. Obft. R — t.

493. Skwar—ow (A. A.) partus primiparae facilis die 21 April. 1805. Obft. B — n.

494. *Ejusdem* partus facilis die 20 Iunii 1808. In puerperio febri laboravit intermittente. Convaluit.

495. Sol—y die 5 Aug. 1797 parturiens quaedam, difficilem edidit partum, ob situm capitis obliquum, qui tamen naturae viribus absolutus est. Obst. W — r.

496. Sol—y (A. G.) die 2 Nov. 1806. partus primiparae lentus. Obst. M — e.

497. *Ejusdem* partus die 5 April. 1808.

498. *Ejusdem* partus naturalis die 1 Mart. 1809. Obst. B — n.

499. Smi—w (F. P.) partus naturalis parturientis debilis et hystericae die 16 Maj. 1807. Obst. B — n.

500. *Ejusdem* partus die 13 Iun. 1808.

501. Smi—w (filia I.) die 13 Martii 1810, partus lentus primiparae obesae, naturae viribus absolutus. Obst. Kr—r.

502 Sol—ff (in domo N. M.) placenta post partum diutius relicta et arte soluta, die 26 Maji 1797.

503. Sol—ff (com. C. A.) die 13 Febr. 1802, partus lentus primiparae, naturae viribus absolutus. Obst. B — n.

504. *Ejusdem* partus die 25 April. 1804. Caput infantis naturae viribus exclusum est, humeri vero in diametro pelvis conjugata, diu moram egerunt, quare arte solvi debuerunt. Infans vivus, et puerpera convaluit.

505. Sol—ff (M. A.) die 20 April. 1810. partus naturalis. Obst. N — nn.

506. Son—ff (E. L.) die 14 Maj. 1804, partus lentus primiparae, qua filia in lucem edita est, quae adhuc in vivis. Obst. B — n.

507. *Ejusdem* partus naturalis die 23 Nov. 1809.

508. Sol—ff (in domo com. P. W.) die 28 Iul. 1797. Paragomphosis capitis in foemina pusilla. Infans forcipe extractus est.

509. Spiz—y (E. J.) die 9 Iunii 1805. Partus naturalis. Obst. W—r.

510. *Ejusdem* partus die 10 Aug. 1806.

511. *Ejusdem* partus die 15 Febr. 1809.

512. Schar—poff die 30 Maji. 1792, partus naturalis. In puerperio vero aegre decubuit febri continua, cum dolore inflammatorio in hypogastrio. Convaluit. Obst. R — t.

513. Schin—n (C. J.) die 13 Maji 1802 partus naturalis primiparae debilis et hystericae. Obst. B — n.

514. *Ejusdem* partus die 3 Aug. 1804.

515. Schub—n (N—Jevg.) die 1 Sept. 1790, rus petere debui, ob praematurum partum parturientis, quae postea in puerperio febri laboravit remittente, per quatuor dies. Convaluit.

516. Stra—ow (E. A.) die 9 Aug. 1806. Paragomphosis capitis infantis completa, cum vaginae athresia, quae in foemina pusilla atque obesa perforationem capitis absolute necessariam reddidit. Obst. Str—r. Confer. Caput. CVIII.

517. Stra—e die 26 Octobr. 1795. partus lentus primiparae, quo infans vivus forcipe a me extractus est. Obst. S—nn.

518. Stre—coff die 24 Ianuar. 1804 partus naturalis. Placenta relicta, ob ingentem uteri haermorrhagiam, artificialem secundinarum solutionem necessariam reddidit.

519. Stro—l (A. J.) die 1 Iunii 1800. Ob situm infantis transversalem, versionem instituere coactus fui. Infans eductus est vivus. Obst. R—ch.

520. Str—r die 13 Maji 1798, partus filiae naturalis, in foemina, quae arthritide summo gradu laboravit. Obst. M—e.

521. *Ejuſdem* partus naturalis die 3 Febr. 1801.

522. Sub—w (Com. N. A.) die 1 Octobr. 1799, partus naturalis. In puerperio exortus eſt nodus lacteus in mammis, qui vero abſque ſuppuratione reſolutus eſt. Obſt. B — n.

523. Such—n (E. F.) die 25 April. 1797; partus lentus, ob pelvis anguſtiam, qui tamen naturae viribus abſolutus eſt. Obſt. Str — r.

524. Suk—n (S. V.) die 25 Febr. 1809. partus lentus primiparae. Obſt. B — n.

525. Sup —ff (C. P.) die 18 Octobr. 1801 partus naruralis. Obſt. M — z.

526. Swer—ff (A. St.) die 25 Iul. 1798. Partus naturalis et maturus in foemina, quae quondam ter abortum habitualem perpeſſa fuerat. Obſt. R — ch.

527. Swet—n (W. W.) die 17 Aug. 1806, partus naturalis primiparae. Obſt. S — nn.

528. *Ejuſdem* partus die 21 Iunii 1806.

529. Syg—off die 4 April. 1808, partus primiparae debilis, naturalis. Sexto poſt partum die convulſiones epilepticae ex animi pathemate ſupervenerunt, quibus e vivis erepta eſt puerpera XII die.

530. Symb—ff die 12 Aug. 1808, partus naturalis primiparae. Puerperium fauftum. Obft. A—rs.

531. Tal—n (M. V.) die 17 Maji 1803, partus naturalis primiparae. Obft. S — nn.

532. *Ejusdem* partus die 31 Mart. 1805.

533. *Ejusdem* partus die 6 Maji 1808.

534. Tap—ky die 12 Ianuar. 1804, partus primiparae, quae conftitutionem corporis habuit debilem et phtyficam, ob haemoptyfin, qua tanquam virgo laboraverat. Partus erat facilis, at enim vero tuffis habitualis poft partum exafperata eft, et tabe pulmonali, poft dimidium annum, confecta abiit.

535. Tat—ff (in domo A. F.) partus praeternaturalis difficilis, ob brachium praevium, verfione abfolutus die 8 Dec. 1795.

536. Tek—ff (uxor G. G.) partus naturalis primiparae, quae ftaturam corporis habuit proceram, die 6 Febr. 1805. Obft. K—r.

537. Tel—ff die 5 Martii 1807, partus naturalis in foemina, quae femel abortum pridem perpeffa fuerat. Prolapfus infimul fuit partialis et incompletus vaginae, qui vero partui nequaquam impedimento fuit. Obft. M — f.

538. *Ejusdem* partus die 25 April 1810, partus naturalis, puerperium fauftum. Obft. B—n.

539. Tim—o die 11 Nov. 1795, nates in exitu pelvis incuneatae, per forcipis applicationem eductae, infante vivo. Confer. Caput. XCVIII.

540. Tol—in (A. S.) die 19 Aug. 1805 partus primiparae lentus. Obft. B — n.

541. *Ejusdem* partus naturalis die 12 Dec. 1806.

542. *Ejusdem* partus die 1 Febr. 1809. Die quarto, poft partum editum, a terrore tumor et dolor in infimo ventre exoriebantur, cum febri, quae per feptem dies duravit. Melancholia ex mente. Convaluit.

543. Tol—y (com. A. L.) die 25 Dec. 1807, partus praematurus infantis feximeftris mortui, a febri ex refrigerio ortus. Abortus tamen poftea habitualis factus eft. Obft. A—rs.

544. *Ejusdem* partus praematurus die 1 Febr. 1809. Ob. A—s. Infans fuit feptem menfium, qui eodem die obiit.

544. Tol—y (in domo S. V.) die 26 Ianuar. 1799, partus lentus, forcipe terminatus. Obft. S — n.

545. Ton—i partus naturalis, in foemina primipara, quae conftitutionem corporis habuit robuftam. die 10 Aug. 1808.

546. Tren—rg die 20 Mart. 1794 excrefcentia polypofa in utero extracta eft; aegrota convaluit.

547. Tru—y (A. P.) die 15 Maji 1796, partus filiae in primipara, quae, durante graviditate, febri intermittente quam maxime fuit debilitata. Obft. B—n.

548. *Ejufdem* partus naturalis die 18 Oct. 1797. (filius).

549. *Ejufdem* partus die 10 Nov. 1800, naturalis, fed lentus, ob fitum capitis obliquum, qui tamen naturae viribus terminatus eft.

550. Tru—y (uxor A. S.) partus, natibus praeviis, verfione abfolutus infantis vivi, die 5 Maji 1805. Obft. M—e.

551. Tru—y (C. A.) die 27 Iunii 1797. Obft. M—z et B—n. Partus naturalis. Nono autem poft partum die, ab animi commotione febris puerperalis facta eft, cum peritonitide et metaftafi lactea, quibus poft feptem feptimanas, tandem reftituta eft. Ob urinae retentionem in

puerperio, femel catheterem optimo fuc-
ceffu applicavi.

552. *Ejufdem* partus naturalis die 4 Martii 1799. Ne iterum metaftafis fieret lactea, fuafi, ut puerpera faltem per fex hebdomades ipfa lactaret prolem, id quod femper etiam in partu infequente optimo fucceffu fecit. Obft. B—n.

553. *Ejufdem* partus die 18 Febr. 1807 naturalis.

554. Tru—y. (N. J.) die 15 April. 1797, partus praematurus, feptimo graviditatis menfe, poft febrem continuam nervofam, qua per XVII dies laboraverat.

555. *Ejufdem* partus naturalis die 26 Novembr. 1798. Obft. B — n.

556. *Ejufdem* partus die 18 Iun. 1800.

557. *Ejufdem* partus die 23 Febr. 1802.

558. Tru—y (N. S.) die 31 Mart. 1797. Partus naturalis lentus filii in primipara, quae conftitutionem corporis habuit tenuem et fenfilem. In puerperio febri laboravit intermittente, cum affectionibus hyftericis in fummo gradu. Obft. M — z.

559. *Ejufdem* partus naturalis die 7 April. 1798 filii. Obft. S — nn.

560. *Ejusdem* partus praematurus infantis mortui die 15 Maji 1800.

561. — — partus praematurus die 25 Nov. 1801, infantis mortui, poſt febrim continuam, qua ante partum laboraverat.

562. — — partus naturalis filii die 25 April. 1806. Obſt. S — nn.

563. Tru—y (in domo I. D.) placenta in puerpera relicta, die VII Oct. 1809 arte ſoluta.

564. Tum—y die 9 Mart. 1805 partus naturalis. In puerperio abſceſſu mammarum lacteo laboravit. Obſt. H — r.

565. Tut—ff (C. L.) die 14 Iunii 1802, partus naturalis in primipara debili. Obſt. B—n.

566. *Ejusdem* partus naturalis die 6 April. 1805.

567. *Ejusdem* partus naturalis die 26 Febr. 1809. Ob debilitatem corporis et pathemata animi, in melancholiam prona fuit. Convaluit.

568. Tu—k—ff (M. M.) die 1 Iunii 1806. Ingens uteri haemorrhagia, ante partum a placenta, ab interna uteri ſuperficie ſeparata. Partus tamen naturae viribus terminatus eſt. In puerperio vero maxima obſervabatur debilitas. Convaluit. Obſt. S — l.

569. Ur—ow (Pr. C. P.) die 1 Octobr. 1802. partus naturalis lentus, naturae viribus abſolutus. Obſt. H—g—n.

570. *Ejuſdem* partus die 8 Maji 1804. Obſt. H—g—n.

571. *Ejuſdem* partus die 25 April. 1805. Obſt. B—n In graviditate et praecipue ultimis menſibus pluries haemorrhagia uteri obſervabatur. Caput tamen ſitum habuit naturalem & partus erat facilis.

572. *Ejuſdem* partus die 8 Ianuar. 1806.

573. *Ejuſdem* partus die 11 Februar. 1809.

574. *Ejuſdem* partus die 30 Maj. 1810.

575. Ur—ow (uxor Pr. W. M.) die 8 Ianuar. 1805 partus naturalis. Obſt. B—n.

576. Uſch—ow (N. D.) die 6 Sept. 1802. partus naturalis lentus primiparae. Obſt. M—f.

577. *Ejuſdem* partus naturalis die 12 Dec. 1803.

578. Uſch—ow (uxor A. P.) partus natibus praeviis, naturae viribus abſolutus die 19 Iul. 1798. Obſt. M—f.

579. Uſſ—w menſe Ianuarii 1803 Moſquam adiit, ut auxilium quaereret pro incontinentia urinae poſt partum relictam. Convaluit.

580. Uv—ow (E. P.) partus naturalis primiparae XXXIX annorum, qui tamen ſpatio XVII

horarum, naturae viribus feliciter abſolutus eſt. Obſt. B — n.

581. Wae—in (A. I.) die 9 Febr. 1798, partus primiparae lentus, naturae viribus abſolutus. Obſt. M — z.

582. Wae—ky (Pr. A. P.) die 27 Febr. 1803. partus in initio noni menſis praematurus, naturae viribus abſolutus. Singularis in hac parturiente obſervatus eſt tumor in hypogaſtrio, caput modicum infantis fere adaequans, qui tamen in integumentis et muſculis abdominalibus ſedem ſuam habuiſſe videtur, cum dereliquo omnes corporis functiones debita ratione exercerentur. Obſt. M — f.

583. *Ejuſdem* partus die 15 Mart. 1804. partus unico pede praevio, et ad malleolum uſque jam e vagina prominente, tanquam agripparum imperfectus (partus) terminatus. Obſt. M — f. Confer. Caput LXIV.

584. Wae—ky (Pr. E. R.) die 21 Decembr. 1804. partus naturalis, lentus. In puerperio febri laboravit, cum doloribus colicis in infimo ventre, et ſingulari abdominis intumeſcentia. Convaluit. Obſt. B — n.

585. *Ejuſdem* partus die 4 Mart. 1806. partus naturalis. Obſt. B — n.

586. *Ejuſdem* partus die 18 April. 1807. partus, natibus praeviis, naturae viribus abſolutus. Obſt. B — n.

587. *Ejuſdem* partus naturalis die 10 Mart. 1810. Obſt. B—n. Verſus finem ſecundae hebdomadis, dum exiret, refrigerium paſſa eſt, quo ipſo febris continua exorta fuit, quae per XVII dies continuavit. Convaluit tandem.

588. Wa—r (in domo C. I.) die 29 Nov. 1801, partus clandeſtinus lentus, forcipe a me feliciter terminatus.

589. Wam—y (Uxor Pr. P. I.) die 31 Ianuar. 1803, partus naturalis lentus primiparae debilis. In puerperio febri laboravit nervoſa, cum congeſtionibus ad caput et delirio. Convaluit. Obſt. Str—r.

590. *Ejuſdem* partus die 30 Mart. 1804. Obſt. St—r.

591. *Ejuſdem* partus naturalis die 3 Nov. 1805. Poſt partum editum per tres menſes tuſſi laboravit rebelli, cum phtyſi et febri hectica incipiente, cujus morbi diſpoſitionem haereditariam in ſe geſſit. Convaluit et nunc optima fruitur ſanitate.

592. Waſ—koff (A. P.) die 1 Febr. 1806. partus lentus primiparae, quae in ſummo gradu plethorica fuit. Caput oblique in pelvim intravit, et ſitu debito in oppoſitum latus parturienti conciliato, tandem feliciter naturae viribus abſolutus eſt. Ab animi commotione febris exorta eſt puerperalis, cum metaſtatico tumore ad regionem muſculi pſoas. Per tres menſes aegre decubuit, et tandem convaluit. Obſt. K — r.

593. *Ejuſdem* partus die 25 Octobr 1807. partus naturalis et facilis; puerperium fauſtum. In initio vero tertiae poſt partum editum ſeptimanae, vehementer animo commota fuit, et inde exorta procidentia uteri completa, quae penitus tandem curata eſt. Confer. Caput IX.

594. Wei—dt mulier quaedam (in domo D.) die 27 Iunii 1796 partum facile edidit. Eodem die prolapſus uteri factus eſt completus, intus haerente placenta, cum funiculo umbilicali. Confer. Caput VII.

595. Weiz—r die 10 Ianuar 1796. partus naturalis. Placenta in utero relicta, quae ſecundi-

narum artificialem solutionem necessariam reddidit. Obst. H—z—r.

596. Wel—off (C. N.) die 15 Nov. 1797. partus naturalis lentus. Obst. M—f.

597. Wen—noff (A. N.) die 12 Dec. 1801. partus naturalis primiparae juvenis, quae constitutionem corporis habuit gracilem et tenuem. Obst. B—n.

598. *Ejusdem* partus die 14 Septembr. 1805.

599. *Ejusdem* partus die 2 Decembr. 1806. In puerperio febri laboravit intermittente.

600. *Ejusdem* partus lentus et difficilis die 13 August. 1808. Caput oblique in pelvim intravit, attamen viribus naturae absolutus tandem est, postquam parturiens in partu situm in latere sinistro servavit. In puerperio haemorrhoidibus coecis quam maxime vexabatur, quae tumorem insolitae magnitudinis obtulerunt. Convaluit.

601. *Ejusdem* partus naturalis die 18 Septembr. 1809. Puerperium faustum.

602. Wen—noff (uxor. Al. Al.) die 8 Decembr. 1803. partus primiparae lentus, forcipe a me feliciter terminatus. Obst. S—n.

603. Wen—tſch die 5 Mart. 1805. partus primiparae juvenis lentus, quae conſtitutionem corporis habuit debilem. Obſt. R — o.

604. *Ejuſdem* partus die 10 Mart. 1806. Obſt. G—r.

605. Wer—in (E. I.) die 2 Ianuar. 1798. partus naturalis. Obſt. S—nn. In puerperio nodis lacteis vexabatur, qui abſque ſuppuratione ſuborta reſoluti ſunt.

606. *Ejuſdem* partus die 20 Iul. 1799.

607. Weſ—kin die 22 Aug. 1803. partus praematurus habitualis, ſeptimo graviditatis menſe, abſque ulla cauſa manifeſta factus. Obſt. M—f. Infans mortuus.

608. *Ejuſdem* partus praematurus, octavo menſe die 17 Aug. 1804. Infans vivus.

609. Wi—f die 30 Sept. 1809. partus naturalis. Obſt. K — r.

610. Wipr—ky die 8 Aug. 1797. partus primiparae lentus, forcipe a me feliciter terminatus. Placenta in utero moram egit, et cum eo ipſo haemorrhagia uteri et convulſivi motus exorirentur, placentae ſolutionem artificialem ſuſcepi. Puerpera convaluit.

611. Wir—ow (E. P.) die 12 Iulii 1807. partus naturalis primiparae 38 annorum, ſpatio octo horarum citiſſime ac feliciter abſolutus. Primos enim dolores percepit hora pomeridiana quarta, et ipſe partus abſolutus eſt hora media nocturna inter diem XII et XIII Iulii. puerperium fauſtum. Obſt. A — s.

612. *Ejuſdem* partus die 15. Martii 1809, qui admodum cito abſolvebatur, ut obſtetrix adire non poſſet. Dum parturiens in vicinitate mea degeret, citius mihi contigit illam adire et infantem, naturae viribus excluſum, excipere: puerperium fauſtum.

613. (In domo ejuſdem mulier quaedam) partum habuit praeternaturalem. Funiculus umbilicalis una cum capite praevius inveniebatur. Quare, ne vita infantis diſcrimini exponeretur, forcipe partum acceleravi, et puerum eduxi vivum die 15 Febr. 1808. Confer Caput XXXVI.

614. Wi—ff (E. A.) partus naturalis die 1 Mart. 1810, foeminae nobilis, quae ultimis elapſis annis, bis partum praematurum ediderat. A terrore, ſecundo poſt partum

die, febris puerperalis vera exorta eſt, cum peritonitide et lactis ſecretione turbata. Veſicatorium abdomini applicatum, inprimis optimum praeſtitit effectum. Convaleſcens iterum fortuito quodam caſu animo commota erat, et nunc tumor exortus eſt metaſtaticus ad pedem ſiniſtrum, qui per quatuor menſes, omnia remedia efficaciſſima, cum interna, tum externa reſpuebat, et tandem febri catharrali aliquot dierum (ex refrigerio facta) reſolvebatur. Obſt. B — n.

615. Wiz—rd (uxor praeceptoris) die 24 April. 1806, partus lentus primiparae, forcipe a me feliciter terminatus. Obſt. S—nn.

616. Wol—sky (Pr. C. Pl.) partus naturalis die 10 Februar. 1802. Haec quondam ruri degens, poſt partum, ex metaſtaſi lactea mania affecta fuerat. Quare nunc juſſi, ut mater ipſa lactaret prolem, et felici quidem ſucceſſu. Per dimidium annum et ultra optima fruebatur ſanitate. Deinde vero abſque ulla cauſa manifeſta (forſan ex morali?) obſervabatur agrypnia, melancholia, et tandem poſt duas ſeptimanas, vera mania, quae omnem

curam refpuebat. Petiit eodem morbo detenta rus, et dum clanculum e domo fua hyeme infequente exiret, pernione utriufque pedis a gelu affecta fuit. Inter fuppurationem gangraenofam pedum, mentis iterum compos facta erat, et quantum mihi notum eft, adhuc in vivis eft.

617. Wol—off die 9 Dec. 1809, partum praematurum infantis feptem menfium edidit. Caufa fuit contufio accepta. Obft. S—nn.

618. Wül—n die 30 Iulii 1796, partus facilis et citiffime me adjuvante abfolutus. Obftetrix enim domi non inventa erat.

619. Zach—s die 29 Febr. 1796. Placenta nono graviditatis menfe, vectione in rheda, per commotionem, ab interna uteri fuperficie foluta, cum haemorrhagia infigni fubfequuta. Infans verfione extractus eft, et mater convaluit. Confer. Caput. XLIII.

620. Zim—nn (A. Gr.) die 12 Iul. 1808. Haec foemina nobilis et habitus corporis quam maxime obefi, ante quatuor annos partum ediderat praeternaturalem et admodnm lentum, ut alius obftetricator

tunc temporis, caput infantis perforare, coactus effet. Quare etiam nunc non temere ejufmodi partum difficilem fufpicatus eft et maritus et ipfa parturiens. At enim vero hac vice partus propmtiffimus et facillimus fuit. Primos dolores percepit hora decima, et poft tres horas, infans vivus capite praevio, naturae viribus in lucem editus eft. Placenta vero per quinque horas moram in utero egit, et tandem fponte exclufa eft. Puerperium fauftum. Obft. A — rs.

621. Zo—off (C. A. A.) die 22 Ianuar. 1807. partus naturalis, fed lentus primiparae. Obft. A — s.

622. Zf—ch (M. Th.) die 29 Februar. 1796, partus naturalis et maturus in parturiente debili, in qua pluries abortus habitualis factus fuerat. Obft. M — f.

623. Zu—ff (E. F.) die 12 Aprilis 1799. Partus naturalis primiparae, quae habitu corporis gaudebat robufto et ftatura procera. Obft. R — ch.

624. *Ejufdem* partus praeternaturalis die 21 Iulii 1800. Placenta in orificio uteri praevia, cum haemorrhagia uteri enormi. Partu

per verſionem accelerato, mater ſervata eſt, et infans ſeptimeſtris eductus. Confer. Caput XXXVIII.

Quaecunque in praxi mea privata, inter has 624 obſervationes, memoria digna viſa ſunt, nunc, pro conſpectu ſynoptico, ſpeciatim indicare liceat:

A) Quoad partus praeternaturales.

Verſio infantis inſtituta, ob ſitum ejus tranſverſalem. - - -	27
Verſio infantis inſtituta, ob convulſiones epilepticas parturientium	6
Verſio infantis inſtituta, ob brachium praevium infantis - - -	12
Verſio infantis inſtituta, ob placentam in orificio uteri praeviam - -	5
Verſio infantis inſtituta, ob funiculum umbilicalem praevium - -	4
Forceps obſtetricia applicata - - - -	32
Partus natibus praeviis, naturae viribus abſolutus.	11
— — — verſione infantis abſolutus	6
— — — forcipe abſolutus -	1
— pedibus praeviis ſive agripparum -	3
Partus praematurus - - - - -	25

Partus lentus, viribus naturae abſolutus -	24
Partus gemellorum - - - - -	14
Partus tergeminus - - - - -	2
Obliquitas uteri, et capitis praevii ſitus obliquus	11
Perforatio capitis inſtituta - - -	2
Abortus - - - - -	6
Placenta in utero, poſt partum editum, diutius relicta, ſponte tamen a natura excluſa - - - -	5
Placenta in utero relicta, ob ingentem uteri haemorrhagiam arte ſoluta - -	34
Placenta, ab interna uteri ſuperficie ante partum ſoluta, a commotione externa.	2
Funiculus umbilicalis praevius una cum capite infantis, partu naturaliter abſoluto	2
— — — verſione partus abſolutus -	4
Funiculi umbilicalis circa collum infantis conſtrictio - - - -	27
Facies infantis ſupera; partus naturae viribus abſolutus - - -	3
Humeri inter partum, offibus pubis retenti	2
B) *Quoad morbos puerperarum.*	
Abſceſſus lactei ſuppuratione ſanati - -	9
Anaſarca et hydrops aſcitis gravidarum -	2
Apoplexia partu praematuro ſponte ſublata	1

Apoplexia lethalis, vivo manente infante poſt verſionem inſtitutam - -	1
— — ex ira in puerpera, quae per XII dies optima fruebatur ſanitate -	1
— — in puerpera ex animi commotione	1
Catheteris in puerperio applicatio. - -	6
Conceptio ſpuria *(faux germe)* - -	1
Convulſiones epilepticae in puerperis -	3
Dolores poſt partum per VI et VIII dies inſolito modo durantes - -	3
Empyema in puerpera, a pleuritide in graviditate praecedente - -	1
Febris continua in puerperio - -	19
— — inflammatoria cum peripneumonia puerperarum - - -	3
— — intermittens puerperarum - -	6
— — lactea quinto vel ſexto die poſt partum	4
— — nervoſa - - - -	13
— — puerperalis cum peritonitide -	9
Haemorrhagia uteri ingens poſt partum -	5
Hernia umbilicalis inſignis, quae inter partum, manu retineri debuit - -	4
Incontinentia urinae puerperarum - -	2
Lochiorum ſuppreſſio, a ſecundo poſt partum die inde, innoxia - -	1
Mania puerperarum - - - -	3

Melancholia poſt partum remanens - -	2
Metaſtaſis lactea 1. ad cerebrum cum phrenitide	3
2. ad muſculum pſoas -	2
3. ad pedes - - -	4
4. ad inguina - -	2
Nodi lactei reſoluti, abſque ſuppuratione	2
Pectoris ſingularis oppreſſio, in puerperio venaeſectione ſublata - -	1
Oedematoſus tumor circa octavum graviditatis menſem in crure, femore, inguine et natibus - - -	3
Phtyſis gravidarum et puerperarum -	4
Tumor ſteatomatoſus in hypogaſtrio, abſque noxa pro gravida et puerpera -	2
Vomituritio inſolita, inter quemlibet dolorem ad partum, quae forcipis applicationem neceſſariam reddidit -	1
C) *Quoad vitia organica uteri, in quibus operatio manualis neceſſaria fuit.*	
Retroverſio uteri - - - -	1
Mola carnoſa virginis quinquagenariae -	1
— racemoſa et veſicularis vetulae - -	1
— — — foeminae juvenis - -	1
Polypus uteri intra vaginam deligatus -	3
— — —— extra vaginam deligatus -	4

Polypus uteri forcipe extractus et deligatus	1
Prolapſus uteri in graviditate - -	1
—— ſtatim poſt partum - - -	2
—— poſt partum intus haerente placenta	1
—— in puerperio - - - -	2
—— ex polypo uteri excluſo - -	1
Paracentheſis vaginae - - -	2

Inter omnes puerperas mortuae ſunt 32 -
et quidem inter has :

apoplexia lethali in puerperio - - -	3
apoplexia in graviditate - - -	1
empyemate ex pleuritide praecedente in gravida	1
ex placenta in utero relicta, et febri exorta	5
ex gangraena, a brachio infantis praevio, livido	4
febri nervoſa et puerperali - -	8
febri continua - - - -	4
phtyſi in puerperio funeſta - -	4
convulſionibus epilepticis - - -	2
Summa	32

Reliqui partus fuerunt naturales et puerperium fauſtum.

INDEX RERUM.

F I N I S.